




AURUM

POTABILE

ANTHONY

1616







333 334

A-XL


7/a

S.T.C. 667  
S.T.C. 666

15.4.43.

26814

Proj. # 118





Fr Anthony

288.4.4

APOLOGIA  
VERITATIS  
ILLVCESCENTIS,  
PRO  
AVRO PO-  
TABILI:

SEV

Essentia Auri


AD MEDICINALEM POTABILITATEM  
absque corrosuis reducti; vt fere omnibus humani corporis  
ægritudinibus, ac præsertim Cordis corroborationi, tan-  
quam VNIVERSALIS MEDICINA, vtilissime  
adhiberi possit; vnâ cum rationibus intel-  
ligilibus, testimonijs locupletissi-  
mis, et modo conuenienti in  
singulis morbis usur-  
pandi, producta:

Authore

FRANCISCO ANTONIO Phil. et  
Med. Doct. Anglo. Lond.

LONDINI

Excusum per IOHANNEM LEGATT. 1616.





IN APOLOGIAM  
AVRI POTABILIS  
FRANCISCI ANTONII,  
EPIGRAMMA.

Fons Louis Hammonij latis celeberrimus oris:  
Dicitur AEthiopum pingue rigâsse solum.  
Ille fuit sanis quondam gelidissimus vndis,  
In cœlo medium Sole tenente diem.  
Manè tepens mutauit aquas, et vespere feruens  
Bullijt à tenebris nox vbi tecta foret.  
Pellatus Iuuenis per tristes fertur arenas  
Huc procul AEgypto continuâsse viam.  
Rumor enim toto fuerat dispersus in orbe  
De mira tanti vi, faciéque loci.  
At nihil inde tulit precij, nec forsan honoris,  
Ille salutiferas nec sibi sensit aquas.  
Non opus AEthiopes lustrare, sed Anglica tellus  
En nunc Aureoli Fontis ab imbre scatet.  
Qui tepet, et rigido torpentes frigore neruos  
Calfacit, et motus dat renouare suos:  
Qui riget, à calida postquam ardent corpora febris;  
Et sopor in tota nocte quietus abest.  
Aureus Aonio fluxit de culmine riuus,  
Lectus ab Antonio qui fuit vber aquis.

Hunc ne turbet Aper non Candidus, hanc malè Cru-  
Ne bibat in venas Fruolus, aut Bibulus. (dus  
At quisquis validos sentis in pectore morbos,  
Huc ades, atq; hausto gurgite sanus eris.  
Magna latet liquido virtus medicaminis Auro,  
Aureaq; humanis sufficit vnda malis.  
Opto, sit infælix, si cui Postponius ille,  
Antonius cum sit nomine, dictus erit.  
Anteit Antonius multos, Potabilis Auri  
Quos premit inuidiæ, gloriolæq; furor.  
Qui vitam non odit, amet tua pôcla metalli,  
ANTONI Aonij Gloria luxq; iugi.

Pro tempore.

M.M.C.P.M.D.E.E.P.C.

---

EIDEM RECIPROCVM  
Hexastichon ab eodem.

ANTONII AONII Fons auri labitur undis,  
Labitur auri fons AONII ANTONII.  
Inuidiâ crepet, huic fallax qui scommata iactat,  
Scommata qui fallax huic, crepet inuidiâ.  
Vulneribus, rogo, quòd pereat, qui vulnera figit,  
Vulnera qui, pereat quòd, rogo, vulneribus.

Clarissimo

CLARISSIMO ET  
doctissimo viro, Domino,  
FRANCISCO ANTONIO  
Medicinæ Doctori, et Chymia  
experientissimo, S.



Egi vir clarissime tractatulum tuum de  
Auropotabili apud vos in Anglia edi-  
tum; argumentum sanè et intentio bona;  
qui aliter aestimet, vix mihi inter bonos  
aestimandus. Flosculos tuos dulcissimos  
ex Chymia vera hortis delibatos grato  
animo lustravi; verum cum illis binos a-  
reaneos venenosissimos insidere viderem, exq[ue] illo nectare ve-  
nenum sibi haurire et texere futilia et inutilia reticula, vix  
me continere potui, quin illos turgidos et horridos uno ictu ne-  
dicam flatu dissiparem. At cum animaduerterem eorum tex-  
turas et opuscula permultis admiranda existere, ideo nihil in-  
commodi illis animalculis hactenus inferre volui, ne scilicet  
Crabrones cum araneis conspicient. Mitto interim en spongi-  
am Muriaticam, seu muria acri imbutam, quâ plagas ab illis  
bestiolis illatas aut virus infixum eluere, abstergere et sanare  
possis; aut si manis, illorum non candidas lituras aut texturas  
delere et omnino suppressimere. Hanc prouisu tuo tibi habe, sine  
luci sue tenebris manicipanda, m[ea]que quod facis, ama.

Tui nominis obseruantissimus

HERMES MAEAVICI.



# SPONGIA MV- RIATICA CON- tinens Epigrammata Apolo-

GETICA OPPOSITA CRIMINALI

BVS GVINNIS LIBRO CON-  
tentis, et Carmibus eidem præfixis,

*Authore cui nomen*

HERM. MALAVICI.

Ad ANTONIO-MASTIGAS

*Primum Epigramma.*

**H**ortus in Hesperia Anglorum consitus oris,  
Floribus omnibus Palladis vber erat:  
Qui medicat, et diues Potabilis Auri  
Pôcla, Machaonias suppeditabat opes.  
Hic Hygieia suam transmouerat aurea sedem,  
Humanisq; libens et medicata malis.  
Hic, et Diua Salus haec, Parcæq; sorores  
Vitæ continuo statimæ fila trahunt.  
Liuor ut adspexit spires tam diuitis horti,  
Faxo, refert, ne sit luxuriosa seges.  
Dixit: araneolos et binos misit in illos,  
Hesperidumq; iubet spargere virus agros.  
Illi dant monitis aures et dicta capessunt,  
Incipiuntq; atro ducere fila pede.

Quæsis

Quēis ita Pæonium irretire reflexibus hortum  
Tentārunt, herbis et spoliare suis;  
Verūm non tulit impatiens Malauicius Hermes;  
Spongialam salibusq; imbuit ipse suis:  
Inq; manus mittit Francisco Teutonis orā,  
Bestiolas acri quā lauet ille sale.  
Nec mora, dum lotio bipedes aspergit Arachnos,  
Ecce redit flori vis medicata nouo :  
Omnēq; virus abit plantis tam nobilis horti  
Hesperidum; virtus in sale tanta latet.  
Ite per vmbrosas ô vos animalcula syluas,  
In folijs telas et malè nete rudes :  
Hic ubi Strymoniæ Pygmæi bella volūcri  
Miscent, non tricis hic locus aptus erit.

*Eiusdem ad Eosdem secundum.*

**S**Vtores duo Centonem geminum artesuētes  
Nobile iactabant Palladis illud opus:  
Visum est hoc nitidum pulchrōq; colore politum  
Pandoram varijs exuperare bonis:  
Vtile sed nullis dabat experientia rebus,  
Nec quis cā poterat commoditate frui:  
Centonem pueri geminum dum fortē capessunt,  
Hoc vsu et lusu gratius esse vident.  
Inde fit vt tractent pueri versatile Gwinni,  
Et Rawline, tuæ quod fuit artis opus.  
Ignari gaudent rerum nouitate, quid obstat  
Cum magnis pueros ludere s̄æpe viris?  
Namq; viri ex pueris fiunt crescentibus annis,  
Menteq; sunt vīsi reppuerâsse viri.

AD PRIMVM CAR-  
MEN GWINNII LIBRO  
P RÆFIXVM.

**M**Artis ausi ternos ter vbi transegerit annos,  
Dira venenosi seminis oua parit:  
Quæ si tardigradus lethali viscere bufo.  
Fouerit, horrificam suscitat inde luem:  
Quam referunt noto Basiliscum nomine dici,  
Omniaq; intuitu viua necare suo.  
Tale cerebroso de viscere Guinnius ouum  
Edidit(heu quantum criminis illud habet! )  
Insidet huic bufo, versisq; tepentibus alis.  
Adiuuat vt lucem fætus inire queat.  
Prodijt hinc illo basiliscus lètifer omni  
Artifici, Chymicæ qui probat artis opus.  
Infælix nimium fædo Bufonius ortu  
Cernitur, et curis nil sapuisse suis.  
Non fuerat natus gallinæ Candidus albæ,  
Qui dedit, at Coruo nigrior ille nigro.  
Authores proprios ouum exitiabile perdat,  
Virtutis referens experimenta suæ.  
Niteris in vanum Basilisci infausta propago.  
Virus in humanum continuare genus.  
En noua vis medici fulget Potabilis Auri.  
Quæ valeat tantam supprimere arte luem.  
Macte tua virtute; malum, Francisce, venenum.  
Tolle lubens terris quod Basiliscus agit.

Aliud.

*Aliud Eiusdem ad secundum.*

**V**T bellum bellum, sic est mihi Candidus ille  
Candidus, atratae qui dedit artis opus.  
Sanè insaniuit, qui tot spurco ore cacauit  
Stercora, quæ centura vix benè plastra vehant.  
An non hoc misero cerebrum dementia morbo  
Exagitat, postquam lingua ita vana crepet?  
Nullus in infaustis magis his incondita claustris  
Effutit, aut si quem febris acuta premit.  
Thersiten longè superat conuitia iactans  
Gwinnius, huic cedit dente minace Theon.  
Viator erit, fatuis si cui victoria verbis  
Obtigit, aut vincat plumbeus Aureolum.  
Plurima qui sine mente dedit dieteria, si sit  
Veriloquus, palmam Gwinnius unus habet.  
At si simplicitas veri ratione vel vsu  
Spectetur, Gwinnus nil nisi verba dedit.  
Verba dedit, libro dum grammaticaster in uno  
Quæve Calepinus, quæve Perottus, habet.  
Dictorum cumulos congregavit Gwinnus acerbos,  
Vaniloquâ premium dignus ab arte ferat.  
Dira gonorrhææ contagia sparsit et imbre  
Verborum similes dum probat aures sonos.  
Si lubeat resonas audire et reddere voces,  
Gwinnius umbrosum pergit adire nemus.  
Hic repetat proprium mittens ad sydera nomen;  
Mirificum Gwinnus nominis omen habet.

*Aliud Eiusdem ad tertium.*

**F**ilia Solis erat, socios quæ vertit Vlyssis  
In pecudes, formis restituitq; suis.  
Vnus erat turbâ, cognomine Grillus, in illâ,  
Noluit humanos qui reparare sonos.

Dulce

Dulce etenim fuerat cœno immersisse lutoſo  
Roſtra, volatbris et remanere suis.  
Pocula ſed Circe non præbuit aurca Græcis,  
Crede mihi, ex herbis illa venena dedit.  
Illecebris vexat ſimilis deſtentia multos,  
Ut renuant veri cognitione frui.  
Quēis male mentiri voluſe eſt, et ſcommata falſis  
Edere, ſeu, lingua bella mouere, dolis.  
Grunnitus tantos, latratusq; inter, en vnuſ  
Emicat, hinc Grilli qui malus omen habet?  
Candidus, an niger eſt, Grillus, qui protulit ora  
Fœcibus immundis, Candidus an niger eſt?  
Hoc ſcio, quod falſo dicatur candidus, ergo  
Sit niger, et cœno gaudeat ille ſuo.  
Ipſe bouis Cyprij meritus fuit eſſe merendam,  
Omniuoro tantos qui capit ore cibos.  
Turbidus inuoluit cunctos aper ille peragros  
Omnia, quo Chymicæ dente terantur opes.  
Immota ſed enim captis hæ mente manebunt;  
Est Erymantheo claua parata Sui.

*Aliud eiusdem ad quartum.*

**E**Gregiam (qui enim neget hoc?) Collegia laudē  
Hinc referunt, medicā quoq; ab arte cluent.  
Guinniacum dum forte probant AVRVM, non  
Nil auri ſiquidem continent ille liber. (AVRVM,  
Candidus ut carbo, cuius bene noſcitur author,  
Si volucris ſeſe vocibus ipſa probet:  
Crocitu coruus, proprijs clangoribus anſer  
Proditur, argutas ſi ſtrepat inter aues.  
Vox irata canem prodit; ſua vox quoq; pōrcum,  
Rumpitur immani voce ſolum Neadis.  
Talia ſi fuerint illorum pectora, qualis  
Hic liber, Illyricā ſunt nigriora pice.

Mille

Mille scatet vitijs, fædissima mille cloaca  
Criminibus, puros queis grauat ille viros.  
Fallor? an à prisco talis fuit editus æuo,  
Londinij medicus quo capit ordo probrum.  
Monstrum horrendum, ingens, nisi me præsagia fal-  
Protalit infælix Gwinnius author opus. (laut,  
Quale fuit melius primo extinxisse sub ortu,  
Ne daret exemplis plurima damna suis.

*Alind Eiusdem in Battologiam ipsius Gwinnii.*

**L**Ineolæ ex ductu, Gwinni, velut alter Apelles-  
Nosceris, artificem te graue iactat opus.  
Ille Deam pinxit Cyprio velut æquore natam,  
Nec tulit authorem parua tabella parem.  
Londinij præstans tu Censor in ordine quartus,  
Antonimastix diceris esse libro.  
Illiis in morem, quem nunc post terga reponis,  
Iudicium vulgi certius vt videas.  
Ne te posset amor recto subuertere fætus,  
Omnis enim est oculis menteq; captus amans.  
Primus en ex vulgo occurro tibi, libera lingua,  
Post carecta modò tu lateas, mihi sit.  
Sunt tria, quæ miror, Gwinni inquisita libelli,  
In quibus haud quisquam par queat esse tui.  
Vin' vt id ingenuè sine fuco pectoris addam,  
Quo velut in speculo tu videâre tibi?  
Copia verborum, quæ reddant grata sonorem  
Syllabicum, est dictis gratia magna tuis.  
Cum loqueris, putidum, putridū, putret atq; putrescit  
Putre facit purum (sunt tua verba) putum.  
Millia vis exempla, darem; sed parco papyro,  
Larua hominis, nullâ mente vidêris homo.  
Deinde tuis nulla est connexio rebus, ab vno  
Pergis ad oppositum, dans sine aquâ fabulum,

Nullus inest toto versus vel codice, qui non  
Testetur muscae te similem ingenio.  
Illa quidem gyros æstiuo ducit inanes  
Aere, nec causa est, cur eat et redeat.  
Deniq; iudicium fallax te deserit, omni  
Re vacuum, nec quid dixeris, ipse vides.  
Non multum retulisse iuuat, sed qualia vera,  
Multiloquus multum sermo tenet vitij.  
Hæc tria si studeas proprio delere libello,  
Vda tuum, quantum est, spongiatollet opus.  
Lychnobium scio te pingui studuisse Mineruæ,  
Cui Liber dictet libera dicta libro.  
Hunc modò si lymphis tractes nutricibus, acriis,  
Quem Liber libro dat, sapor arte perit.

---

*Ad Epigrammatistam calumni-  
antem in fine libri.*

**A**ntonius cum sim, nequeo Postponius esse :  
Prima modò dempta est littera, sis Nonius.

VIRO

# VIRO AMPLISSI-

MO MICHAELI MAIERO PHIL.

ET MED. DOCTORI, PALATII

Cesarei COMITI, EQUITI,

Exempto, &c.



Varis à me (Doctiss. Maiere) quid ego  
de poculento illo auro Antoniano sen-  
tiā, quod omnibus ubiq; medicis in ore  
est. Äquius esset ut protuā praxi &  
medicā & chemicā, iudicium ego tuū  
& limatum illud & politum require-  
rem: sed quia inhumanū esset, quāren-  
titibi non respondere, et plane impium,  
quos expertus sum eius medicina effectus non confite-  
ri; simpliciter, & aperte quod queris eloquar. Scio perplures  
esse nostrates medicos, eosque etiam insigniter doctos, qui illi  
medicamento non modo laudem vel minimam inuident, sed  
noxium etiam clamitant, & indignum ut ad usum medicum  
adhibeatur. Sanum sit illis & saluum iudicium; cuique ta-  
men pro rei veritate fari licebit. Ego igitur ut illud medica-  
mentum præstantissimum esse sentiam, & ad usum permulces  
idoneum; fecerunt mirabiles eius & laudatissimi effectus,  
quos in valetudine meorum expertus sum: quorum unum, aut  
alterum non erit indignum recensere. Vnum ex filiis meis  
octennem Caros quidam aut Coma invaserat: quinque esset  
ährum, nihil temere in medicinā tentandum censui. Post ali-  
quot septimanas quum morbum indies invalescere perspicie-  
rem, Marasmus timui aut Lethargum: somnus enim erat  
serè perpetuus, marcor insignis, nulla cibi appetentia, deiecta  
vires. Hic ego pro illâ qua mihi est cum Doctore Antonio ne-  
cessitudine, opem eius implorabam: grana aliquot essentiae au-  
ri in suo liquore soluit, & propinari iussit; tertio obtuli, &

plane reualuit. Pro filia autem meâ infante, quæ tum mihi unica erat, perpetuas illi gratias debeo, semperque debebo; quod medicinae illius felicissimo subsidio in deplorata vita sp̄e restituta est. Bimestris illa infantula subito ingruete morbo correspondet languit. Fecit sedula mater quæ filia languenti debuit, sed in cassum abierunt omnia. Spe igitur vita iam inclinata, tentare tamen volui, ecquid in aureo illo liquore esset subsidii. Antonius cometz aliquot in cochlear instillavit, lactis materni aliquid addi iussit, & in os infantula paulatim ingerit: suspiria alte duxit & gemitus tanquam animam mox redditura: at sumpto liquore (mira sed vera loquor) post semihorulam & gemere cessauit, & mammam pressit: post duas horas aliquantulum eiusdem liquoris gustauit, idque tertio; sub vesperum hæc facta omnia; mane autem apparuerunt exanthemata illa siue variolæ, quæ in omnibus infantibus ad nonum ferè diem efflorere solent; in illa autem ante id tempus non apparuerant. Sic facta est salua et sana ad biennium: subinde ex variolis grauissimè agrotauit, quas tandem crocolacti incoeto prolicui: illis autem toto corpore apparentibus, struictissima nutritrix absente matre foras produxit infantulam: sic omnis morbi malitia ipsum cor appetinit. Hinc de salute pericitata, quum vita ipsa esset in ambiguo, ad aureum illum liquorē tanquam ad anchoram sacram configiebam; quem quim hauiisset, & debito calore fota esset, salutaria omnia sunt consequita. Quare quum ex singulari Dei misericordia, optimo illi medicamento, filia mea vitam bis acceptam referam, de illo auri liquore & eius essentiâ poetæ verbis dicam; A piso ut de apud se regos audiorum rup, quod plurimos humani corporis morbos ita atterit & absunit: ut tanquam auxiliare illud Medicæ carmen collapsas vires refocillet. Vale.

Dignitatis tuae studiosus

ALEXANDER GIL

Aurea



**A**urea messis erit, Phœbo radiante superba  
Et stipulam grandi pondere spica premet.  
Aurea crescentes calamos ditabit arista,  
Nec numerus magni ponderis vllus erit.  
Tu modò macte tuâ constans virtute: Triumphi  
Sic tibi magna nouæ gloria prolis erit.  
Heus ego vaticinor. Facili mihi Cármina venâ  
Suggerit ad mystas Diues Apollo suos.  
Quod restat nihil est: Ascende, sedcto, videto;  
Teludente tibi perficietur opus.

*Timotheus Willisius,*

D. M E D.

¶¶¶

Præfatio



# P R A E F A T I O A D L E C T O R E S , vt iudicii sic Candoris E X I M I I .



Vobis olim, Candidi Lectores, Alexander illi Magno Regi singulari cum praeconio ascribitur, eum in causis dubiis unam aurem accusanti, alteram reo probuisse; id quemcunq; siue Iudicem, siue Censorem, imo lectorem et auditorem iudicio valentem maximè decet: ut nimirum non saltem à Calumniantium ore dependeat, iisq; arrestis auribus astet, sed quoq; se defendantium calamo integrum reseruet, et ueritatem cause magis, quam fauorem aut odium personæ, respiciat. Hoc animo et nutu cum vos (siue sublimi, siue imo sitis nati loco, dummodo literis humanioribus imbuti) in primis fore non dubitem erga quemcunq; praesertim literatum. Hinc Apologeticum hunc meum librum de Auro Potabile seu Essentiâ Auri, vestris non tam manibus quam animis suscipendum, legendū et fouendum obtuli; non diffidens, quin in eo magis sinceros et mites, quam rigidos, et severiores affectus, declaratur.

claraturi sitis. Quod si verò antehac meorum detractatorum  
malitiā et importunitatē circumventi, calculum contrā me  
iceritis, hoc est, sinistrē de me meisq; rebus senseritis; id im-  
becillitati humanae ut asscribendum sentio, ita ad vos ipsos  
magis informatos, seu Apologiā meā certiores redditos, ap-  
pellare volo. Si enim (ut quidam conquestus est non immēri-  
tō) sufficiat quenquam accusare ac calumniari, quis nostrum  
ā calumniis unquam liber euaderet? Hoc mihi unicum est  
remedium contrā sycophantē morsum, hoc mihi scutum con-  
trā tot aduersantium tela, nempe esse immunem ab omnī fu-  
co, et præcinctum veritate, quæ nuda me cum conscientiā pu-  
rā nullorum iniuriis prostrinet, sed, Deo dante, potentissimē  
eripiet. Vobis autem omnibus, quotquot estis candidi et veri-  
tatis amici, hunc tractatulū meum non solum, sed etiam Me-  
dicinam in eo protectam, consecro, ideo, quia et materia uni-  
versalis est per se, et homo, alias hominis gratiā conditus, ad  
utilitatem hominis omnia sua mancipare debet. Vnde, ut So-  
crates olim à quodam interrogatus, Cuias esset, respondit, se  
Cosmopolitam, seu mundi totius ciuem, ac non solum A-  
thenensem agnoscere: Sic quilibet in Arte medicā promotus,  
cuiuscunq; patriæ aut nationis exiterit, se toti orbi, quoad  
possibile est, ac præsertim Christiano, astrictū officio suo asti-  
mare posset: cum id à professione nec muneris, nec fidei (que  
charitatem in omnes exercere iubet) sit alienum, sed maxime  
requisitum. Ne itaq; miremini, quod vos omnes absq; dis-  
crimine patriæ vel alterius terræ, appellete, mearumq; rerum,  
indefesso labore præcedente, et experientiā consequente, in  
Medicinā peractarum participes faciam: cum omne do-  
num quò melius, èò communicabilius habeatur: Non eam  
equidem ob causam, quasi persuasum mihi sit, ab alio vel ali-  
bi tale quid minimè præstari posse: sed quia Deus Opt.  
Max. (cuius gratia inexhausta, ad diuersas gentes, re-  
giones et personas sese indies effundit) me hoc Arcanō hono-  
ratum voluit, ut aliis quibuscumque ad hoc aut simile Me-

dicamentum, uniuersali proximum, indagandum ansam  
praeberem, quo vehementissimis Morbis leuamen presentis-  
simum, tutum et incundum postulantibus non decesset. De  
cuius, nempe Auri Potabilis usu, efficacia ac viribus, quo-  
modo tam veteres, quam recentiores consentiant omnes, inde  
patet; quod ab iisdem statuatur, quemcunque verum Medi-  
cum Auro quodam Potabili probatissimo instructum esse de-  
bere, equè, ut è vegetabilium ordine petitis Pharmacis: Que-  
tanum abest quod condemnem, ut etiam ultrò in tempore  
eadem adhibeam, nostroque huic Auro Potabili pro cuiusque  
rationalis Medici iudicio adhiberi velim: Hoc, ut est in-  
cuiusque discretione circumspectâ, cui, quicquid desiderari  
hac in parte possit, lubens submitto; sic, ut studium hoc no-  
strum iuuandialios, candidâ interpretemini mente, etiam at-  
que etiam rogo: quos omnes Deo Opt. Max. commen-  
datos velim. Datum Londini Anglerum.

---



# DIVISIO TRAC- TATVS.



Nte quinquennium ferē Tractatu-  
lum de Medicinæ Chymicæ & ve-  
rē Potabilis Auri Assertione, in lu-  
cem emisimus, cuius hæc sunt Ca-  
pita : 1. Potabile aurum an sit. 2.  
Quòd potentissima Medicinæ vis  
lateat in Metallis. 3. Quòd inter  
Metalla Aurum summum obtineat in astruenda verâ  
Medicinâ. 4. Quale sit mysterium Auri soluendi & per  
alembicum eleuandi. 5. Quòd publicum examen hu-  
ius veritatis fieri debeat, vt silentium imponatur obla-  
trantibus sempiternum. 6. Quòd Aurum potabile uni-  
uersalis Medicina dici mereatur: ac tandem, 7. De mul-  
tiplici vsu ac viribus nostri potabilis auri. Quod scrip-  
tum, cum veritatem nudam & simplicem ob oculos  
omnium legentium demonstret, ideoq; simplici et pla-  
no sermone à nobis editum, etsi multis doctis et veri-  
tatis amantibus, tam hic, quam alibi re ipsa satisfecerit;  
nescio quo pacto tamen quamplurimos excitauit inui-  
dos et detrectatores, qui, cum ipsi vix quicquam boni  
præstent, aliorum conatibus optimis se opponant(ve-  
pote priuato et sordido inhiantes lucro) idq; potissi-  
mum in hac Ciuitate Londinensi. Horum maledicen-  
tissimis centonibus, quibus eruditorum aures plus

A

nimio

## 2 DIVISIO TRACTATVS.

nimo in seculi probrum ha&ctenus onerat& fuerunt, re-  
sponsum in particulari parallelum seu & quiualens, nul-  
lus, sat scio, à me requiret, qui detrectatorum verba,  
mēx institutionis propositum & mentem, ac huius tem-  
poris, ne dicam, æui breuitatem & preciositatem benē  
consideret. Quid enim ex chartis maledicis vtilitatis  
præsentibus aut posteris prouenit, nisi quod caninam  
facundiam suorum authorum testatam faciant, vniq;  
calumniarum authori, Diabolo litent ac rem gratam  
præstent? Redeat igitur Echo septiuoca ad suam pri-  
mam originem, seseq; multiplicet in infinitum, Meum.  
non est insanias reuerberare voces singulas. Apologiam  
verò omnibus ex æquo opponere, tanquam scutum Ve-  
ritatis, nostræ maximè intentionis est; idq; varias ob  
causas. Primo ut honorem et famam meam à calum-  
niatorum morsibus illæsam (quod boni et cordati viri  
est) conseruem & defendam. Secundo, ut Veritatem,  
veluti Rosam inter spinas compressam, à puncturis, seu  
maledictis aduersariorum liberem, et ætheriæ luci resti-  
tuam. Tertio, ut Auri potabilis vires ex sese reuirescen-  
tes, tam exteris, quam in quilinis hoc scripto (vnde Deo  
gloria, et hominibus vtilitas non exigua accedat) com-  
municem. Quod idcirco in tria membra seu partes di-  
uidam; quarum primâ, Tractatus nostri antea editi Af-  
fertionem de Auro potabili; quod nimirum quædam  
vniuersalis Medicina, aut saltem appropinquans ad eam  
statui possit, magis dilucidam faciam; ac rationibus in-  
fallilibus demonstrabo. Secundâ, talem esse hanc  
nostram Medicinam ex Auro petitam, testimonijs et ex-  
emplis productis clarissimis, quoad sufficiat, conuin-  
cam. Tertiò, usum et modum vtendi in singulis Mor-  
bis patefaciam, ut et alij, non inuidi donorum Dei æsti-  
matores, hoc Arcano frui possint, adiectis circumstan-  
tijs omnibus, qua huic proposito conueniant.

D*s*



## *De prima parte.*



Niuersalem non dari Medicinam varijs argumentorum rationibus sunt qui contendunt: Quibus sanè assentior, si intelligant præcisè omnem affectum contra Naturam pro Morbo: Multi enim ex his sunt fatales et immedicabiles, nec manum Medicam, nec curam admittentes. Ne nostra igitur dicta quisquam aliter, quam volumus, accipiat, distinguendi sunt Morbi: Sunt autem omnes, vel à nativitate, vel casu superveniente orti, vel ab humoribus iunctis cum intemperie, vel à solâ intemperie produci. Qui à nativitate et casu aliquo contingunt, ut sunt exempli gratiâ, defectus alicuius in manu vel pede digiti, vel superabundantia eiusdem, cæcitas, surditas, hermaphroditica corporis constitutio, nasi resectio; et his similia, Chyrurgiæ operam, licet et hanc rarissimè, nunquam Medicinæ, requirunt. Qui verò sunt alterius ordinis, nempe, à causis in corpore humano generatis, quales sunt plæriq; Medicis rationalibus ad curandum propositi; hi si Medicinâ vnâ aliquâ preciosissimâ mitigari, tolli et curari possint, certè hæc Vniuersalis dici merebitur. Ut enim perfectus Medicus est, qui secundum Artem omnes Morbos curare sciat, quamvis multis pro incurabilibus ut reliquat necessum sit, non ratione imperfectionis agentis, sed quia Natura subiecti non aliter admittit; ita etiam Vniuersalis Medicina habebitur, quæ potiores, licet non omnes, eradicet: non

ob impotentiam Medicinæ, sed subiectorum inhabilitatem. Talem Medicinam vniuersalem reverâ dari et haberi posse, præter experientiam Antiquorum infallibilem, rationibus firmissimis approbari potest.

Ratione Me-  
dicamenti.

Primò enim Polychresta Dogmaticorum hoc planè evincunt, quæ si non solum vni Morbo aut causæ convenient, sed pluribus, quid ni et dabitur Medicamentum adeò nobile, vt ex polychreste Panchreston seu Vniuersale fiat? Nil autem refert, si respondeatur, polychreston ab arte fieri ex compositione, Vniuersale verò dictum ex uno peti, quod impossibile videtur, vt vnum quid sit contrariarum virium. Sed ad hæc quilibet sibi responsum petat ex simplicibus polychrestis per se suâq; naturâ absq; vlla compositione: vt appareat in Aceto, Rhabarbaro, Plumbo, Nitro, Argento viuo, Vitriolo, ipso Opio, Camphora, & innumeris alijs: ex quibus quædam astringunt et aperiunt, quædam calefaciunt et refrigerant, quædam alias contrarias operationes et effectus præstant in identitate suæ substanciæ: Veluti usus docuit, et ipsi authores hoc vnanimi consensu attestantur. Quid iam dicemus de Auro, quod omnis Antiquitas pro Medicinæ vniuersalis sacrario agnouit et hucusq; posteris commendatum reliquit? Id nimurum omnes iam dictorum, nec non aliorum simplicium facultates æmulari et exprimere, imò æquare, nechoc solum, sed multis modis quoq; superare, vt mox patebit.

2

Ratione Auri. Morborum sit vna intemperies, quid obstat cur non eorundem propulsandorum statui possit vnicum auxilium, atq; hoc temperatissimum, quale est Aurum? Ipsum licet elementatum sit ex quaternario numero, æquali tamen lance librata sunt omnia sua Elementa: Nulla est vnius redundantia; nullus defectus alterius; nulla repugnantia in omnibus. Terra Elementum proportionatur æ qualitati Aquæ, Aeris et Ignis: Aer com-  
mensuratur.

## PRIMA PARS.

5

mensuratur Aquæ, Igni et Terræ: Ignis similiter, Aquæ, Aeri ac Terræ. Vnde fit ut corpus perfectè analyzatum dicatur: quia vnum Elementum non prævallet alteri, nec vnum resoluitur sine alio: sed quodlibet docet alterum præliari contrà ignis pugnam: (ut loquitur Lullius) atq; hinc est, quod furiosam flamمام non pertimescat Aurum, verum stabiliter in igne perseueret absq; diminutione. Ex hac Elementorum proportionatâ misturâ, resultat temperamentum in mediocritate summa dispositum: Vnde Baconus: Aurum, inquit, est medium inter quatuor qualitates. Cum igitur in Auro ex Dei decreto sit tanta adæquatio et temperamentum subtile, hoc in primis qualitatibus primò relucet: ideoque aduersatur calido, frigido, humido, ac sicco inordinato, refrænans has intemperies et paulatim vincens eas, reducensq; tandem ad verum temperamentum. Et sic custoditur inviolatum Hipp. illud Oraculum: Contraria contrarijs remedio sint: Mediocritas enim omni extremitate contrariatur, veluti et vnum extremum alteri. Quod in Physicis & Ethicis locum habet: hinc liberalitas tenacitati & prodigalitati, ut virtus media vitijs extremis adversatur; & fortitudo temeritati & timiditati.

Tertia succedit ratio ad temperiem corporis humani spectans; Mors (inquit Gal.) semper ad immodicas sequitur Cordis intemperantias: Et Morbi similiter. Simul enim cum Corde omnes vitiantur partes (ut loquitur ille.) Consideremus itaq; Aristocratiam corporis humani, quomodo Cor præsideat aut imperet suo calore et spiritu vitali reliquis membris et visceribus: Consideremus similiter quo pacto intemperies à membris cæteris communicatur Cordi, vnde hoc languet, et per consequens, indiuiduum interit. Iam verò, si temperies ab Auro imprimatur Cordi, vnde hoc restauratur, reliqua membra et viscera hoc sentiunt, indéq; robur et vires recuperant. Hinc Medicus Dogmaticus

Epist. tertia de  
Arte Chy.

Tertia Ratio.

De locis af-  
fectis lib.  
quinto, cap.  
primo.

dextro oculo ad vires ægri refocillandas respicere debet. Si enim illas semel adeò neglexerit, vt collabescant, posteà frustrà remedium adhibebit. Rechè igitur monuit ille qui dicit: Primum in Medio est, vt Cor bene roboret: postea vt Morbum strenue aggrediatur.

Obiectio.

At quomodo (inquieris) Aurum adeò durum in substantia, et stomacho humano indigestibile, ad Cor penetrabit, suisque viribus illud restaurabit, cum saltem Cor ex spiritibus claris, copiosis et temperatis roboretur; hi autem ex bono sanguine generentur, ad quem Aurum sit ineptum?

Responsio.

Respondeo: Multi obseruârunt, quædam contingere ex occultis naturæ proprietatibus, quorum causam manifestam nos homines exprimere non possumus: vt videmus in Magnetica vi attractiva ferri, et ad polum mundi se dirigente, innumerisque aliis: et tale quid forte in Auro corroborante Cor humanum fieri, vt eius rei causa certissima tradi nequeat. Interim de viribus Auro ascriptis nullus dubitare potest, qui tot classicorum authorum monumenta legerit, tam veterum, quam recentiorum: quemadmodum in priori nostro Tractatu satis abunde, capite primo, eorum testimonia in medium attulimus, quæ suo loco videnda et consideranda sunt. Vnius Arnaldi de Villa nova excellentissimi, et Philosophi et Medici, de Auro hic producam: qui libro de Conseruanda Juventute et retardanda senectute, capite secundo: *Et est sciendum (inquit) quod innovatio et confortatio cutis fit cum potatione aquæ Auri purissimi propriè. Ipsa namque Alopeciam curat et Tyriam, et transmutat corpus humanum, syncerat et innovat ipsum, et virtus multarum rerum approximat huic operationi: Sed ipsa est,*  
quæ

qua prædictum miraculum facit, et qua non corruptitur, et complexioni humanae est conueniens, et neque calefacit, neque infrigidat, neque humectat, neque desiccatur, immo est omni temperamento temperata, omnemque rem excedit in temperantia et perennitate, quam habet. Etiam subuenit Stomachos frigido, timorosos facit audaces, Cardiacos confortat, valet contra Melancholiam et Alopeciam, et calorem naturalem confortat et temperat: nec est res aliqua quae stare possit loco eius: et virtus eius in sua manifestatur substantia, quia est in ea caliditas, ideo clarificat; et in ea est magna temperantia, ideo magnum temperamentum efficit super omnem rem; et quia est perennitas, ideo conseruat corpus humanum: et in ea est assimilatio complexioni humanae, et ideo incorporatur, si præparetur ut decet, et in eius præparatione est totum secretum, quod sapientes propter invidiam occultauerunt. Confirmat autem et syncerat Cordis substantiam, et suæ puritatis impressione omnem deiicit impuritatem ab eo, et tuetur illud, et clarificat spiritum substantiam, et mouet sanguinem ad cutim, et inducit pulchritudinem inuenilem abstersione leui.

Hæc ille, et multò plura de Auri dotibus existimis. Quod si mihi quid in hac difficillima quæstione, (quomodo Aurum Cor corroboret, et tot præterea propulseat Morbos) videatur, liberè dicendum sit absque præiudicio, id faciam, ita ut cuilibet sua opinio reservetur ad libitum: Aurum esse inter omnia corpora mixta temperatissimum in qualitatibus omnibus Elementorum, nullum est dubium: hoc est, haberi in Auro humiditatem caliditati, et siccitatem frigiditati coniunctam, illam ut agentem et prævalentem, hanc ut patientem et quietam: Vnde Aurum non solum quid quasi incorruptibile in Aqua, Igne, Aere et Terra, ac terrena æternitatis

imago existat, sed etiam Cordi humano maximè convéniat, quod ex sanguine calido et húmido spiritus vitales, et motum systoles et diastoles fabricat: Temperies autem illa in Auro duplex statui potest, vna Arithmeticā, atq; hæc æquationem facit omnium qualitatum, quam retinet Aurum, dum in suâ corpulentâ substantiâ remanet, non solutum in potabilitatem. Secundūm hanc, Aurum operari nonnihil, credibile est; cum tot Medici vires Auri in hac suâ crassitie etiam manentis adeò extollant, ut Aurum ignitum extinguant in liquoribus; aut foliatum, aut limatum cum Conseruis propinent ægrotis ad vires refocillandas. Atque hæc temperies in Auro est in matefiâ et formâ: hoc est, tām in patientibus quām agentibus eius Elementis. Vnde cùm forma maiorem operandi vim habeat, et nobiliora Auri Elementa complectatur, nempè ignem et aerem, vnde caliditas et humiditas quasi vinculo naturæ humanæ amicissimo vinciuntur; Hinc Aurum manens in suâ corpulentâ crassitie minus virium exerere potest, quām si rarescat, soluatur, et in sua componentia Elementa reducatur, hoc est, potabile fiat. Tum enim prædominantur virtutes agentes, formales, igneæ et aeriæ, quæ suâ proprietate spiritibus corporis humani, ipsiq; Cordi aggregatae, hoc mirâ suâ facultate reficiunt, illosq; gratâ similitudine restaurant et augmentant: quæ temperies Geometrica dici potest, vt pote, in quâ prævaleat proportionalis qualitas Cordi humano amica, et complexionata, calida humiditas, seu humida caliditas. Quid? quòd radicale humidum, in quod calor innatus agit in corpore humano absq; intermissione (vt flamma lampadis in oleum) idq; consumit, hac Auri temperie Geometrica ex parte restitui possit, atq; sic senectus ad tempus prohiberi? Hinc est quòd Auro easdem vires assignant; quod Arnaldus Villanouan. innumeriq; alii demonstrant. Verūm obiicit aliquis instan-

do

do, Si Aurum est exactè temperatum, nullam actionem in humano corpore exerere poterit, cum actio omnis à prædominante qualitate procedat, æquatae autem qualitates mutuis vinculis coerceantur. Ad quod dicendum, quòd Medici suadent eo tempore, quo Morbi in temperies etiamdum incognita est, temperatis utendum esse, quæ nulli qualitatim manifestè nocere, sed omnibus ex æquo convenire queant. Quòd si hoc cum ratione Medici, et utilitate agrotantis fiat, multò rationabilius et utilius erit, propinare Medicamentum non solum temperatum in qualitatibus, sed ita in eis excellens, et firmatum, ut à nullo contrario oppugnari, aut simili dissolui possit: quemadmodum in omnibus vegetabilibus temperatis contingit, ceu patet in Manna per se quidem temperata, in biliosa autem natura, aut Stomacho calidiori facilè bilescente, et calorem præternaturalem augente. Tale quid in Auro temperato non verendum est, quippe quod suam temperiem in ignibus fortissimis inuictam conseruet, eiusq; Ideam, ceu radium subtilem, Cordi transmittat contemperando: Siue itaq; dicamus, iuxta Hippocratis decretum, Contraria contrarijs tolli, ad Morbum eiusq; causam et Remedij qualitatem; siue Similia similibus conseruari, ad vires Ægri seu Cordis corroborationem respiciendo, Aurum vtroq; modo conuenientissimum Morbis erit Remedium, præsertim si ad potabilitatem persolutionem Philosophicam redactum sit.

Datur quoq; vniuersalis Medicina ex consideratione naturæ Ægri seu affectus contra naturam. Nam si respectu Ægri. Morbus validus, quasi onus, incumbat Ægro, vires autem imbecilliores ei portando ad metam non sufficiant, quid h̄ic agendum? An non potius refocillandæ vires, ut persistent et euincant onus, quām vt onus tenetur abiisci, et pereant vires? Vnde patet omnem Ægri- tūdinem viribus confirmatis euinci posse à Naturâ, quæ

sola est Morborum medicatrix et victrix, non Pharmacum. Quod in Mulis peregrinantibus usu venit, id quoq; similiter in ægrotis. Non licet illis semper sarcinam detrahere, vt pascas, sed pastum præbere poteris, vt perdurent. Hic nunquam Morbus abigitur inconsultis viribus, sed vires reponuntur sæpe ad Morbi decrementum. Huc spectat illud Arnaldi. *Hoc egerunt olim veteres quidam Medici. Eorum unica intentio fuit vigorare Naturam: quæ alleuiata et vigorata perficit omnia ut expedit. Ita nunquam subuerterebat hominem. Cum Cordialibus igitur nunquam desinas operari.*

Lib.de sim-  
plicibus.

Quinta Ratio.

Meth.Med.

Quintò, cum constet plerosque in corpore humano Morbos ex obstructione viscosæ, pituitosæ aut mucilaginosæ materiæ fieri, quæ non separata sit à vasis suæ concoctionis, siue ob imbecillitatem innatam aut superuenientem; hinc separatâ hac et discussâ, obstructionem tolli, Morbum prostrigari, et symptomata cessare animaduertimus. Ex eiusmodi enim obstructionibus varia genera febrium, vt ardentium, putridarum, hecticarum & malignarum, exoriri solent: Imò tām calidi quam frigidi Morbi seu symptomata, quibus etsi magno cum iuuamento interdum adhibeantur Remedia ex vegetabilibus petita; tamen cum plerumq; sint momentanea et non satis efficacia; aut, si hoc, nimis tamen corpus commouentia et raro sine noxa, vix unquam cum temperie, simplicitate et iucunditate quæ requiritur: Hinc ijs omnibus anteferri debet, quod sit temperatissimum et æqualitati corporis humani proximum. Hoc enim nec frigore suo nocebit partibus aut affectibus frigidis, nec calore calidis; sed omnibus ex æquo, ab obstructione liberando, prodelle poterit: Causam adimi oportet (ex consilio Galeni) propriâ cuiusq; naturæ inuentâ contrarietate; si ab obstructione ita est affectum corpus ægrotum, hac reclusâ. Huic consilio acquiescendum est nobis in tali passu, et referendæ.

randæ fores clausæ. Ita placidum insequitur refrigerium in calidis, collapsi spiritus retocillantur, et sanitas in propinquo est. Idem statuendum de Morbis frigidis, seu à frigida causa excitatis. *Cum sanguis De victus rasteterit (inquit Hippocrates) atq; cum eo spiritus, in-*  
*frigidationes sunt, Vertigines, Aphonia, Capitis grauitates, et Convulsiones, quibus succedunt Paralepsia et Epilepsia, qui affectus sunt frigidi. Quid multis? Constat satis affectus varios, maximeq; inter se discrepantes, immò planè contrarios, ab vnicâ illâ obstruente impuritate originem trahere. Vnde igitur irrepserunt isti tot Morbi, eadem Remedia eorum intrent, et per eadem sequantur retro vestigia. Materia hinc obstruens eum sit in omnibus, sublatâ hac in quolibet affectu, hic ipse tollitur. Expedias (inquam) hanc materiam ac dissipes, aperias naturæ meatus ut spiritibus pateat aditus per sua organica vasa; ita sequitur virium, et per consequens sanitatis restauratio. Verum ex iam dictis difficultas alia suboritur, quomodo nimirum humores adeò copiosi nonnunquam existentes in humanis corporibus, inde possint ejici Medicamento, quod non evacuet ut solent Cathartica per vias communes, sed saltem corroboret vires aut Cor refocillet? Respondeo. In multis Morbis (fateor) esse copiosos humores, causas et continentis seu proximas et antecedentes, quæ nisi excernantur suis locis et temporibus, vix sperata sanitas consequetur. Quocircà si tum clementi quodam evacuatio adiuvietur naturæ regri et dicti Medicamenti vniuersalibus, eò melius et citius virium corroboratio et Morbi propulsatio continget. Verum si hoc non fiat, et huius rei ratio per se consideretur, nihilominus Naturæ viam sibi inueniet melius, quam ipse Medicus, qui saltem adjutor et minister Naturæ est, non magister.*

Obiectio.

Responsio.

Nam in singulis Morbis, quò Natura euacuationem instituit, eodem et Medicus eam dirigere tenetur, dummodo sit critica et non symptomatica ex imbecillitate, et circumstantijs Morbi conueniens. Possem quidem hoc loco rationes plures alias non parui momenti pro demonstratione huius partis adducere: verum cum illæ vel sub hactenus relatis compræhendantur, vel ab alijs antehac allatæ sint ad simile propositum, nos illis hic breuitatis gratia supersedebimus, et saltem vnicam ex placitis Raymundi Lullij acutissimi Philosophi adhuc proferemus: qui in Theorica sui Testamenti, Cap. 32. Benedictus (inquit) sit Deus gloriosus omnipotens, qui humano generi dedit intellectum ad coniungendum et integrandum particularitates confusas totius Medicinae cum uniuersalitate reali, per quam remanebunt rectificata omnino. Et ideo fili monemus te, si desideras esse perfectus Medicus, non ponas te complacentiae particularitatum Medicinae, quia confusa sunt et non hodie integra. Natura enim eas pati non potest propter confusione nimiam, sed complacere in unica Medicina, quia non est nisi una sanatoria totius malitiae, prauitatis et infirmitatis, et confortativa spiritualium virtutum, &c. et paulo post, Qui multas et plures particularitates sciet ad uniuersalitatem reducere, inter alios erit melior. In particularitatibus sunt virtutes confuse, et in uniuersitatibus sunt reales virtutes in unum congregatae, et excitatae, sicut totius Naturæ cursus manifestat, et est Medicinarum Medicina. Et qui talem habet Medicinam donum Dei habet, quia thesaurus est incomparabilis. Hæc ille. Quibus licet Arcanum Philosophicum intellexerit, satis tamen demonstrat, esse Medicinam vniuersalem in rerum natura; quæ, siue ab Auro propagetur, siue Aurum ipsa propaget, perinde est. Imo, ipsum Lullium in innumeris suorum operum locis de auro manifestissime loqui, licet interdum.

Ratio sexta à  
placit. R. Lul.

interdum de tincturâ intermisceat, quilibet animadvertere potest. Sie libro de Medicinâ Secretissimâ docet modum extrahendi quintam Essentiam ab auro. Et scias, inquit postea, fili mi, quod eodem modo, quo extraxisti et separasti et depurasti quintam essentiam ab auro, etiam ab omnibus alijs separare debes suprà notatis mineralibus, &c. Et in libro Mercuriorum dat aquam Auri sanis cum diuersis mixturis, cum vino, Phlegmaticis: cum brodio carnis, melancholicis: et sic in alijs. Accipe (inquit) de aqua Auri ad quantitatem medij Cochlearis, et erunt securi ab omni ægritudine, et rectificati contra qualitatem temporis. Similiter infirmis administrat eandem aquam Auri diuersis modis in omnibus Morbis. Hæc et his similia in Auro latentes vires manifestissime demonstrant

humanæ naturæ amicissimas: quas afferuisse, et Medicinam vniuersalem esse, indeq; peti,  
pro prima huius Tractatus parte  
declaranda nobis hîc.  
sufficiat.



## DE SECUND A PARTE.



Aetenus adductis rationibus pro Medicina Vniuersali, nonnullis ingenio mitioni præditis, et doctrinâ, satisfecisse instituto nostro vide-mur, cum ipsi per se suâq; naturâ inquisitioni summi Arcani insistant, aut alios insistere quamplurimos animaduertant: verum permulti id persuaderi sibi haud patientur, etiam si persuaderemus, vtpote suo nutu ab his et similibus naturæ et Artis secretis abhorrentes, quibus nihil dixisse aut scripsisse præsumimur. Vtrique, et hi et illi pernegabunt hanc nostram Auri præparationem esse veram aut veritati propinquam, hoc est, nostrum Aurum potabile non esse illud decantatum Medicamentum vniuersale, ad omnes languores corporis humani tollendos accommodum. His dupli modo responsum velim: primò, Ratione, idque breuiter. Secundò, Experimento, idq; copiosius. Omnis enim veritas et cognitio his duobus tanquam criterijs et fulcris innititur, quibus detractis illa corruit, confirmatis stabilitur.

Quoad rationem, in Tractatu nostro priori, cap. 4. 5. et 6. pro hac veritate satis adduximus, quod suo loco lustre-

Iustretur: Nihilominus h̄ic considerari velim, mūltas esse vias ad vnam syluam ac diuersa media ad eundem finem. Sunt qui ad summam Medicinam aspirant per Mineralia aut imperfecta Metalla, alij per vegetabilia aut Salia, nonnulli per Animalium reiecta aut partes; quibus sua inquisitio placeat, quo usq; libeat. Mihi curæ fuit et est in Auro naturæ satis noto, Magnalia recondita perscrutari et indagare: è quibus quantum consecuti sumus, Experientia ipsa attestetur. Scribant invidi et oblatrantes, vt velint, in suis Centonibus contra me, Aurum non Aurum; hoc certo certius est, Aurum à me; in non Aurum, sed Auro centies preciosius Medicamentum redactum esse. Est enim Aurum instar Regia alicuius domus, quæ non solum extrinsecus omniornatu fastuoso splendet, vt desiderium sui perlustrandi penè omnibus Naturæ contemplationi deditis, relinquat; sed et intrinsecus abundātissimo Remediorum penuscitatet, ad quam tamen paucissimis aditus pateat. Huius Gazophilacij, et si non omnes dotes, quæ innumerabiles sunt, æstimare possim: tamen haud paucas, neutram aspernendas, in eo animaduerti, quæ suo honore vt dignissimæ, sic de illis magno illi Regi, Deo, qui has Naturæ fores nos pulsare iubet, gratiæ pro meritis reddendæ sunt. Quotusquisque ex mille inquirentibus huic similereperiit Arcanum? Quis non in cortice durissimo semper hæsit? vt ad nucleus aureum liquorem rarissimè peruererit? Verum ad rem.

Nullum est dubium, quin illa Medicina, quæ sit ex Ratio 1.  
Auro naturæ (vt Arnaldus de Villa nova hoc extollit)  
soluto absque vllis corrosiuis in substantiam melleam  
et Medicinalem, potabilem, et solubilem in omni li-  
quore, sit præstantissima, Aurumque potabile verum  
et genuinum dicendum et habendum. Sed hæc nostra

talis est, vt iam antè alibi demonstravimus, et ex sequentibus patebit. Ergo est verum Aurum Potabile. Maior patet ex consensu omnium, quicunq; aliquid memoriæ de Auro potabili tradiderunt. Minor constat ex nostro Tractatu edito, et ipsa nostra practica non priuata solum, sed publica: non semel, sed saepius repetita cum suis signis demonstratiuis in opere apparentibus: Menstruum quod primo fuerat in formâ aquæ claræ tingitur in rubicundissimum colorem: abstracto menstruo mellea relinquitur substantia, decantata à Philosophis. Nihil celavi præter Menstrualem illam aquam. In aqua est totum scire et secretum (vt loquitur Lullius.) Si verò quis inferat: Si hoc est verum illud quæ situm Aurum potabile, cur id communicas alijs? huic Respondeo à contrario sensu. Quia est, ideo communico: Illud non communicabile, solum suo Authori prodesse poterit, aut potissimum. Hoc quia innumeris hominibus ad sanitatem præsttit emolumentum, an minus preciosum? Sol quia lucet omnibus visibilis, an indignior Planeta Mercurio, qui rarissimè in conspectum hominum procedit, radijs solaribus tectus? Neutiquam opinor: licet rarissimum carissimum in mundo plernmq; habeatur.

## Ratio 2.

Ad hæc, Illa Medicina quæ Auri potabilis veros et indubitatos effectus re ipsa comprobat et præstat, pro eo debet haberi, cum materia et forma alias id declararunt: sed hæc nostra Medicina effectus præclarissimos, solo Auro potabili dignos iampridem edidit: Ergo pro vero Auro potabili haberi debet. Ab effectu enim ad causam firmissimum dicitur argumentum, et econtrà. In sacris, Propheta magnus ab effectis iudicabatur. Sic Elias, Elisa et Apostoli resuscitaverunt mortuos ad exemplum Christi saluatoris: cuius doctrinam illi prævij, hi sequaces attestati sunt, vnâ virtute diuinâ.

diuinâ. In Artibus ita se quoque res habet: imò in Naturæ et Artis operibus. Ita Aurum potabile, ex suis genuinis viribus, quas antehac satis copiosè ex alijs authoribus in priori nostro Tractatu congesimus, dignoscitur. Minor argumenti exemplis sequentibus patefiet.

Ratio tertia desumi poterit ex mirifico operationis modo circa hoc Aurum potabile contingente: Quicunque Aurum naturæ soluit, vt reduci nequeat in Aurum, et solutum in formâ ruberrima per Alembicum evahere potest, absque ullo dubio fecit inde Aurum potabile, Medicinale, et hominum sanitati maximè conferens. Verum hoc ipsum ego ex De gratia non semel, sed multoties præstigi. Ergo Aurum potabile indubitatum feci. Connexio Maioris propositio- nis inde constat, quia Aurum manens in suâ duritie et compositione, non potest dici solutum, ideoq; nec Medicinale, sed manet Aurum ut prius: et econtra; solutum fit nouarum virium, cum forma agens in Auro à materiâ suâ non ita refrenetur, sed liberè operetur in corpus humanum. Sic si Auri substantia in rubro co- lore ascendat in Alembicum, maximè eam Medicina- lem et tenuissimam esse convincit: quod partes aeriae et igneæ præualeant terrestribus et aqueis, easq; evan- hant vñitas. Minor patet ab Experimentiâ meâ, quam toties feci, cuius, si opus sit, testes oculatos quamplurimos nominare, et inter eos, Medicos eruditissimos producere possem. Verum ut Auicenna in libro de Anima, triplicem probandi modum instituit, nempe sophisticum, dialecticum, et visionis: ita ego dupli- hic ero contentus: nempe Dialectico, de quo hacte- nus: et visionis seu Experientiæ ocularis, de quo nunc agemus.



**EXPERIMENTA ET**  
**testimonia ex innumeris pauca,**  
**SELECTA, QVIBVS HVIVS AVRI**  
**POTABILIS MIRÆ VIRTU-**  
**tes in Morborum curatione fælicissimè**  
*convincuntur et veluti ad oculum*  
*demonstrantur.*



Iri Magnifici, Clarissimi, et huma-  
 nissimi, quorum literas ad me ali-  
 undè missas hîc in apertam lucem  
 prolatus, vel alias, quorum testi-  
 monia, aut Morborum Curati-  
 ones pro rei necessitate declaran-  
 dâ producturus sum, hisce prote-  
 stor et significatum volo vobis,  
 quorum interest, me non hoc in cuiusquam contume-  
 liam, sed potius honorem, honorificamq; memori-  
 am, imprimis veritatis laborantis gratiam facturum;  
 cui, et mihi vt tantum concedere velitis, etiam atque  
 etiam rogo: Prætereà non existimo quenquam ve-  
 strûm id ægrè laturum, si non ordinem aut locum  
 dignitatis seu præminentiae cuiq; debitum assignem,  
 cum tale quid in eiusmodi scriptionibus difficulter fi-  
 eri posse, nec à quoquam præcisè factum animaduer-  
 tam. Vobis nunquam non ad honestissima quæq; of-  
 ficia, vt haec tenus, inveniar promptissimus.

TESTI-



# TESTIMONIA TRANSMARINA.

AVRI POTABILIS  
ex Anglia delati, et Sacrae Cæ-  
SAREAE MAIESTATI OBLATI  
*VSVM, DVPLICI FÆLICIS  
SVCCESVS RATIONE*  
commendaeum, approbo.



Rimò quidem quod Iuueni cui-  
dam, robusto alias, verùm tunc fe-  
bre inclusé, Malignaque, cum Deli-  
rio vexato, pondere vnius vnciæ  
hoc Aurum Potabile propinatum,  
vermes quatuor oblongos, teretes  
eosque viuos, ipso dormiente per  
os prolicuerit: Et ab eo tempore ab omni febre, Con-  
gelatione et Delirio immunem reddiderit; cum tamen  
antea multa pertentata fuerint: et per quatuor septi-  
manas non sine vitæ periculo grauiter decubuisse.

C 2

Fuit



**F**uit insuper hoc Auro Potabili adiutus, Vir quidā robustus, verūm febre Quartanā (quæ illum circa Autumnum invaserat, per totam hyemem) ita fractus, ut vires deficere viderentur, et Hydrops p̄æ foribus esset. Is post multas reiteratas euacuationes, assumptā huius Auri potabilis vnciā, in Cardui Benedicti aquā, in tantam prorupit sudoris copiam, quam me aut vidisse, aut ab alijs audiuisse non memini. Præterquam enim quod spontaneus erat et copiosus, ut duabus personis abstergendo illo negotium faceisset, perdurauit etiam per tres dies iunctis noctibus. Omnium autem mirabilissimum, quod tantum abest virum illum triduano sudore et triduanā inediā viribus defecisse; quantum observatum est, illum ipsum hac spontanēa naturali⁹ euacuatione, horatim robustiorem, firmiorem et alacriorem redditum, et finitis his diebus, omnino sanitati restitutum fuisse attestorego.

Io. ATHMESTETT IN PUBEN-  
heimb et Weyer. Med. Dr. Sacra  
Cæsareæ Maiestati à Cura.


Reuerendo



**R**Euerende Domine. Cum legerim veram vestrā Assertionem de summā illā Medicinā, Auro potabili, audiuerimq; rarissimos et mirificos effectus eius à Domino Rosse Maiestatis eius Legato. Dn. N. Drury et M. Stafforde, nec non à diuersis alijs Nobilibus et Generosis, qui supremæ huic Electioni et Coronationi Francofurti interfuerunt: non potui nec volui omittere, quin visitarem vos hisce paucis lineis, officiose orans, ut pro satisfactione pretij, possim fieri particeps huius tam magni doni à Deo dati. Et cum percepserim ex literis Dn. H. Carye, quod quatuor vnciæ huius summæ Medicinæ vñenant viginti solidis, rogaui hunc Generofum ut exponeret quatuor libras Starlingenses, quo libram vnam eius haberem; quam si obtinuero ex vestris manibus, vna cum dosi, modo et tempore exhibendi (Nam non lubens aberrarem contrarius vestræ experientiæ) ego perpetuum vobis astrictum et obligatum me agnoscam. De his officiose vos rogo propter communia studia, ne hac meâ petitione frustrer, &c.

CASSELLIS IN HASSIA. II. Iulij. 1612.

*Vester, licet incognitus, tamen amanissi;  
amicus Jacobus Mosanus. Med.*



**R**uerendiss. vir salutem, &c. Gratissimè accepi tuum Potabile Aurum. Non sum eo aliquando v̄sus, nisi vrgente maximâ necessitate, et deficentibus alijs quibuscunq; Remedijs. Expertus sum eiusdem vires, in vomitu extremo: in Palpitatione Cordis: in Dysenteriâ malignâ et contagiosa: in Suffocatione et Epilepsia Matricis: in dolore Colico. Quibus in Morbis omnibus (frustrâ prius tentatis alijs auxilijs, tam internis, quam externis) vnica dosis istius Medicinæ tantoperè præualuit, vt ægroti illi omnes assumptâ Medicinâ, veluti paucissimis in horis pristinæ sanitati restituti fuerint. Insuper vnum quidem Experimentum feci in Melancholiâ Hypochondriacâ inueteratâ: sed non simili cum successu vt in prioribus Morbis. Attamen (vt ingenuè fatear) mirum in modum confortatus est Ægrotus ille; &c. Deus te incolumen diu seruet. Vale.

SLEVSINGEN. 24. SEPTEMB. 1612.

Tui semper amantiss. Ia. Mosanus  
Med. Dr. Landfgra. de Hessia  
Med.

Reuerende



**R**uerende Dr. Antoni, aut me immemorem,  
aut ingratum existimare possis, per varia tua in  
me collocata officia, &c. Vestrum illud Au-  
rum Potabile est admirabile Medicamentum  
in plurimis ægritudinibus. Dedi id in principio pa-  
roxismi Podagrī, vnde ex superorto semel sudore,  
omnis dolor & afflictio cessauit, & patiens incepit  
ambulare. In Dysenteriâ, in Epilepsiâ, in vermibus  
Infantum: in Morbillis et Variolis: in nimio Men-  
struorum fluxu: in omnibus ferè Matricis affectibus  
præstantissimum est Remedium. Sinas omnes illos,  
qui contrà id scripserint, loqui vanè et nihil ad propo-  
situm. Hoc concedatur eis, quòd multa legerint, &  
scripserint docte: verùm nihil ad Medicinam vestram  
refutandam. Quicquid ego eius Experienciæ, licet  
exiguæ, fecerim, sufficere posset ad demonstrandam  
eorum vanitatem. His commendatum me vobis  
velim, &c.

*Vestri amantiss. amicus*  
*Ia. Mosanus.*

CASSELLIS HASSIAE AD ME  
missum, Anno 1614. 16. August.



**V**erum ut viri omnibus doctrina et virtutum numeris absoluti, Dn. Doctoris Iacobi Mosani iam memorati, Medici illustrissimi principiis; Hassiae Landgrauii experientissimi relationem per literas mihi factam et magis declarem et testam faciam: opera pretium futurum opinor, si hic cuiusdam viri generosi Angli, in Germania tum morantis, de hac ipsa re significacionem clariorem apponam. Nomen huius est Alexander Oldfielde, qui Anno 1613. 22. Iulii, ad Nobilem virum Dn. Richardum Nortonum Equitem Auratae Militiae literas transmisit, ab ipso mihi communicatas: in quibus inter cetera haec habentur verba.

Rem vnam fere obliuione præteriisse; Concedas ut eius relationem faciam. Nam verissimum est, quod commorans Halæ. 28. die Maij, obuiam factus sim Landgraviæ Hassiae Doctori Medico, qui loquitur Anglicé admodum bene. Nam consecutus est omnes suos gradus Oxoniæ. Inter conferendum cum eo de Medicinalibus interrogauit, num ego agnoscerem Doctorem Antonium. Respondi, me de eo audiuisse, Tum ille: Cum de eius Auro Potabili intellexisse, et quod excellens esset Medicamentum, tum ad ipsum misi ut probarem: Cumq; allatum esset, primum, quod feci, Experimentum fuit in virgine quadam ætatis. 21. annorum, quæ valdè vexata fuerat Morbo Caduco. A quo tempore nunquam in eundem collapsa est, et iam annus atq; eo amplius intercessit. Dederat illi vnciam vnam pro vice, ac eo die quo

quo propinavit, vnde in Paroxismum inciderat: et prout ante dixi, hucusq; nunquam. Dederat quoque infanti, ætatis non suprà quatuor menses, qui eodem affectu valdè vexabatur, et contulit illi præsentissimè. Insuper dederat cuīdam, fluxu sanguinis ægrotanti, vnde in tantam maciem redactus fuerat, ut nemocogitasset illum vires vnquam recuperaturum. Propinavit similiter illi vnciam integrum pro vice, idq; semel, et è vestigio sanitati restitutus est, optimèq; se habuit. Dederat quoq; mulieri puerperæ quæ fuerat extremè imbecillis à fluxu Dysenterico, quem nulla Medicina sistere valeret, præterquam hoc, quod, quamprimum accepisset, sana redditæ est. Hæc ille retulit bonâ suâ fidé, et optabat vt

D. Antonius propior viueret, quò  
satis de eo Medicamento  
habere posset ad  
suos usus.

D

Permagna



**P**ermagna quædam negotia nondum expedita,  
 mihi diuturnum imposuere silentium. Aurum  
 tuum Potabile, quod in usus meos proprios ex  
 Angliâ mecum huc asportaueram , dum liberalius  
 hîc multis impertior , ad summam eius inopiam re-  
 dactus sum. Quam tamen æquiori animo fero, quòd  
 mirabiles eius effectus in multis expertus sim. Baroni  
 à Criessa duo erant filij , vterq; Exanthematis seu va-  
 riolis laborabat. Candidus illi impertior : sed cen-  
 suere Medicinil profuturum in tanto vitæ discrimine.  
 Ita natu maior eo non gustato, fatis concessit. Alteri  
 autem annos. 17. nato de vita similiter periclitanti,  
 Cochlearvnum aut alterum porrexerunt , qui viuit et  
 valet. Pater ipse similiter ægrotans assumpsit, et con-  
 valuit illicò. Alios Nobiles et Generosos mitto quâm  
 plures. Adeò liberalis extiti de meâ illâ copiâ, vt iam  
 ferè eam expenderim. Permulti optant, vt haberem  
 tantam eius quantitatem quò pro precio suo habere  
 possent. Quapropter aut per quosdam nostratum  
 Mercatorum proximis Nundinis Francofurtum mi-  
 grantium , aut per quendam fidelem in comitatu Il-  
 lustrissimi Comitis Palatini, aut Dominæ Elizabethæ,  
 mittas mihi magnam quantitatem trium illorum ge-  
 nerum, additâ precio,&c.

VIENNAE AVSTRIAE DABAM. 3. FEB.  
 Anno. 1612.

Steph. Lefleur.

Domeftica.



## Domestica Testimonia.

**T**ardius equidem, quām institueram (doctiss. Francisce) ad te rescribo. Neq; certē par esse iudicauit, vt in re tanti momenti, sine multiplici eius Experientia prius factā, sententiam meam interponerem, cūm sit Experimentum sāpē fallax, vt rectē monuit summus ille Medicorum Antesignanus Hipp. Sed nunc tandem paucis explicabo virtutem & prāstantiam tuā Medicinā. Et primum quidem, quod feci, Experimentum fuit in propriā meā filiā annorum circiter sedecim, quæ per biduum continuis vomitionibus laborabat, ingesta quācunq; reiciens: eratq; prorsus insomnis, propter graues, quos sentiebat, cruciatus internos. Quum alia Medicamenta frustrā, et irrito successu tentaueram, ad tuam Medicinam, tanquam ad sacram anchoram, configiebam; Quam cum haussisset, retinuit, et parūm dormiuit: sed post duas horas, semel et simul multum euomuit, & posteā rectē se habuit.

Secundūm fuit in Magnifico viro Guilhelmo Samuel Milite: qui ardenti febre correptus, æstu continuo flagrabat, noctes et dies ducebat insomnes: aderat & renūm imbecillitas, et vrinæ suppressio, neq; per Clysteres, Purgationes, Vomitum, & sanguinis missionem (quā omnia tentata sunt) incendium mitigari potuit: sed ingrauescebat Morbus, erantq; omnia Symptomata (meo iudicio) indies grauiora. Sua-  
D 2 debam

debam vt de Medicinâ tuâ haustum sumeret. Sed non potui statim persuadere, vt Medicinam nouam et incognitam gustaret. Tandem amicorum rogatu et Morbi importunitate victus eam sumpsit : et mox secutum est placidum refrigerium, reficiebantur spiritus, confortati sunt Renes, et vrinam satis copiosam seddedit. Ille verò ab eo tempore nunquam cessauit hanc Medicinam summis laudibus extollere : quamquam (vt ingenuè fatear) grauissimo Morbo diu afflatus, pristinas vires nondum perfectè recuperavit.

Tertium erat in Nobili Virgine, quæ diris convolutionibus correpta, post iunctos Clysteres, et assumptam hanc Medicinam conualuit.

Postremò rogatus sum, vt de hac Medicinâ quicquid haberem, mitterem, ad antiquam quandam matronam, iam senio et Morbis contractam, quæq; iam moritura videbatur. Quæ mox ab assumptâ Medicinâ sensit multum leuaminis, et spirituum refectionem: quanquam vt ego existimo, non poterit eam in tam perduto statu è mortis faucibus eripere. Vale vir doctiss. et me (quod pro tuâ humanitate fecisti) ama. Ego te vicissim summo amore et officio prosequor.

GAYTON E MVSÆO NOSTRO  
10. Septemb. 1611.

*Tui amantissimus  
Io. Markes.*


Domine



**D**omine Doctor Antoni: Quamvis inter nos  
hactenus nulla familiaritas intercesserit: tamen  
cum sim testis oculatus vestræ generalis chari-  
tatis ad totum mundum extensæ, conferendo in vsum  
humanum excellentissimam illam quintam Essentiam  
ad naturæ restaurationem; hinc audacior factus, præsu-  
mo vestrum favorem propter paucula grana de eâ.  
dem: quæ propter distinctas has operationes, quas  
vidi et animaduerti in duobus meis amicis in ipso qua-  
si momento mortis, à me adeò æstimari debet, ut pre-  
ciosissimo in pretio semper habeatur. Intelligas enim  
(si placet) esse iam integrum annum à quo veniens ad  
ædes fratris mei, Dn. Guilhelmi Samuelis Equitis au-  
rati, inueni ipsum longâ ægritudine victum, et continu-  
is dolorum tormentibus ita infirmatum, vt non modò  
adstantes omnes ipsi timerent, sed etiam tres tum  
præsentes Medicinæ Doctores; Conueniebant inter  
se, ægritudinem fuisse morbum, quem vos vocatis  
Scorbutum. Nullus tamen ex eis, remouere aut miti-  
gare cruciatus illos intolerabiles potuerat: imò poti-  
us affligebatur magis eorum conatibus. Tandem æger  
ipse in memoriam reuocauit, quod quidam Magister  
Markes Theologus et Medicus vestram illam Medi-  
cinam valdè approbauerat. Misit igitur ad ipsum, et me  
præsente eam sumpsit. Mirum est dictu, quam miracu-  
loſe et efficaciter operata est; Nam in instanti libera-  
uit eum à doloribus suis, qui anteà videbantur intole-  
rabiles: conciliauit somnum, quô prius destitutus erat  
multis diebus ac noctibus: appetitum restituit amif-  
sum:

sum: abhorrebat enim anteà ab omni cibo, et (quod omnium mirabilissimum est) cum anteà mouerentur sedes ab assumptis eorum Medicamentis, videreturq; mille mortes perferre, eò quod excoriauerant vias illas suo calore; iam, postquam hanc vestram assumpserat, subsecutæ sunt sedes circiter quinq; quolibet die ac nocte admodum blandæ et delectabiles. Hæc cum animaduertisset Medicus quidam suus, consuluit vt ipsi ministrarentur Cordalia aliqua ad subueniendum naturæ facultatibus, quæ tunc debiles erant. Verum cum hoc suum consilium fratri meo per vxorem expositum esset, ipse omnino aduersabatur: vrgebat tamen Medicus vehementius, vt illâ ipsâ nocte assumearet Cordiale quid, affeuerans, nil esse nisi Cornu Unicoris, lapidem Bezoardicum et his similia. Præualuit tandem: sed insequuntur priores excruiciatus, et adhuc peiores; vnde secundâ iam vice et in media nocte coactus fuerit mittere ad eundem Magistrum Markes, qui illum deinceps, vt anteà, liberauit eodem tuo auxilio, et ab eo tempore (Deo sit gratia) benese habuit. Hoc modo sanatum fuit corpus valde obstructum. Similiter et tantum præstítit in dissoluto Morbo. Fuit enim in Comitatu Lecestrensi Nobilis vir Dn. Io. Hunt Eques Auratus, qui morti valde propinquus erat ex Dysenterico fluxu: aderat etiam et ardens febris. Ille liberatus est ab vtroq; malo hoc vnico Remedio: Dominus Dr. Ashworth, qui partim viderat, partim etiam audiuerat mirabiles hosce effectus, vltimâ hac elapsa æstate periculose ægrotans Oxoniæ, suum filium misit ad Magistrum Markes pro portione aliqua huius vestræ Medicinæ. Ille multum metuerat, ne patrem suum non viuum in reditu inveniret: qui tamen viuit et valet, quod certè attribuo tuæ Medicinæ: an ille hoc confiteatur, ignoro.

Henricus Skipwith.



MACTE VIR PROBITATE  
et scientiā singulari.

Xoris meæ frater M. Henricus Skipwith , nuper narrauit mihi , quām amicam mei mentionem coram ipso feceris. Vtinam reciproco quodam affectu significasset, quoties à me fieri mentionem tui audiuerat. Attamen quomodo cunq; oportet te certorem fieri, me perpétuò tibi deuinctum duplici vinculo. Namq; in desperatâ illâ meâ ægritudine , cum et præsentes Medici , omnesq; mei familiares, vires meas ita collapsas viderent, vt deploratum me haberent ; amicus quidam meus ex prouidentia Dei(mentionem faciens de eximijs virtutibus tui Potabilis Auri) duo eiusdem accepit grana, quæ in aquæ Endiuiaæ Cochlearibus quinq; dissoluebat, et sic mihi propinabat. Post huius assumptionem , intrâ horæ vnius spaciū , incredibile dictu est, quantum leuaminis senserim doloris, et quantum corroborationis vitalium spirituum. Manè assumpsi , et fælicem eius operationem ad noctem vsq; persensi; Per totum enim illum diem operatur per secessum veluti mens mea desiderare posset, vsq; dum summa nocte ille tum assistens Medicus, Dr. C.(postquam ego illi valedixisse et me ad requiem composuisse) redijt ad me, habens quid in extremitate cultelli, quod mihi in os intulit iam dormituriensi. Hinc cum euigilarem, reuerâ sensi me relapsum ut prius. Tum extremè desperans de meâ vitâ , vocaui (vltimâ meâ voce prout cogitabam) vxorem meam, sollicitaui eam , vt iterum mitteret ad istum meum

D<sup>o</sup>. 4. amicum,

amicū, rogaretq; vt consideraret pro suo iudicio, num non duo grana minus essent, quam vt tantam Morbi maliciam superarent aut vincerent. Tria igitur grana eiusdem Essentiæ Auri, meus ille amicus mihi ministrauit postridiè, quæ subitò, vt prius, mirificè meas refecerūt vires, et operabatur per inferiora ad septem integros dies, viribus quotidie crescentibus ab ipsa operatione. Tum demum valde iratus est Dr. Co. eo quod eius consilium non amplius amplecterer. Interim librum (nescio quem) conscripsit, inhumaniter me calumnijs prosequens, et dictam Medicinam despectans, quæ ex Dei prouidentia mihi vitam et sanitatem restituerat. Vanus ille liber suus est, et vanus iure appellandus, cum nemo sit qui de eo inquirat. At nunc tandem ad præcipuam istarum literarum intentionem accedam. Mittas obsecro per hunc meum ad finem duodecim grana tui Potabilis Auri sub eadem formâ prout frater meus H. Skipwith nuper à te accepit: hic tibi precium persoluet, &c. Author salutis Deus, qui in perpetuum te præseruet, cui elargitus est eam gratiam, ad consequendum illud sanitatis restauratiuum, vitæ prolongatiuum Aurum Potabile. Benè vale reverendissi. Dr.

VPTON. 15. FEB. 1612.

*Vester certè amicissimus amicus,  
Wilbelmus Samuel.*

Dignissime



**D**ignissime Domine, ex suasu Reuerendi viri Dn. Doctoris Hunton in his finibus satis noti, tuum requirimus vterq; consilium et iudicium, in deplorato statu cuiusdam nostri amici Equitis Aurati: et petimus aliquam vestri potabilis Auri portionem, cum debito administrandi modo. Generosus ille vir ætatis est circiter 80. annorum, naturâ cholericus. Infirmitas eius primam contraxit originem fortasse ex nimio sed licito coitu. Postea in quodam suo itinere, cum vix sex miliaribus à domo suâ abesset, coactus est sæpè ab equo descendere et vrinam reddere; quo tempore, et subsequentibus etiam diebus, vnâ cum vrinâ reddidit aut sanguinem, aut quid simile, nescio an semen corruptum, aut corruptæ mulieris. Inde, vsque adhuc vrinam retinere non valet, ex imbecillitate vesicæ opinor. Præterea Renum patiebatur fluxum, à quorum affectuum nullo etiamdum liber est. Expèctamus id circò à te aliquid leuaminis. Pro tuis sumptibus ac consilio generosus hic vir plenè tibi satisfaciet. Ego metetiam ipse in proximo Termino te visitabo, nec ingratus ero.

DATVM 'A T R E N T O, Sep. 12. 1611.

*Vestri amantissi. N. W. Med.*

E

Pèritissi-



**P**eritissime vir Dr. Antoni. Reducas in memori-  
 am (si placet) literas ad te missas, circiter 12. Sep-  
 tembris scriptas. Accepimus tunc temporis à te  
 vncias quinq; tui Potabilis Auri, ad Dei, tui, no-  
 strūm, gloriam, laudem et utilitatem. Morbus, quo la-  
 borabam, prioribus exprimitur literis. Præter quem e-  
 tiam tumorem quendam ex Coxendice ad plantam  
 pedis usq; sum perpeſus, ac si eſſet Oedema. Sentio  
 enim nil doloris: nescio certè an ex frigore, aut ex affi-  
 duo cubitu in illud dextrum latus contractum. Nam  
 per 17. septimanas die ac nocte maxima ex parte le-  
 ctitauis, si italoqui liceat. Accepimus, idq; ex litera-  
 tissimo, tuiq; studiosissimo Doctore Hunton, te ha-  
 bere melleam Medicinam seu substantiam post disso-  
 lutionem Auri, Auro Potabili tempore priorem. De-  
 sideramus aliquam eiusdem portionem, cum admini-  
 strandi usu: sex etiam Auri Potabilis vncias. Sentio  
 per totum corpus doloris mitigationem. Decrescit e-  
 tiam paulatim tumor cruris: Sistit et grauedo et stilli-  
 cidium vrinæ, et reliqua abiēre mala. Petijt à nobis li-  
 brum tuum Dr. Hunton, ut alium mittas precor. Tuis  
 studijs, et assiduis in bonis Artibus conatibus sit Deus  
 propitius. Vale.

BLYBROVVGH Octob. 10. 1611.

*Amicissimus tuus, H. A.*

*Sequens.*




**S**equens generosus, Secretarius Nobilissimi viri Comitis Southamptonie, cuius ad me Epistolam hic cito, laboravit diu febre Quartanâ. In qua cum ipsi Medicus vir doctissimus longo tempore Medicinas administrasset, Febris quartana. Morbus autem nec integrè profligaretur, nec vires restauratae essent, suasit ipsi Medicus ille ut meo Auro potabili vteretur. Quod factum, nec sine fructu, ideoq; post ad me pro portione aliâ scripsit in hunc modum.

Domine, tantum emolumenti ex vestro Auro potabili sensi, vti plus eius nunc desiderem. Nam certò affirmare possum, quod multum vitium acquisiverim ab eo tempore, quo id assumpsi, et recuperârim spiritus supra modum absumptos, ex importunitate Morbi. Portio mea nondum omnino exhausta est: sed plurimum habeo in alijs locis remotis, &c.

Ex AEDIBVS SOVTHAMTON,  
26. Nouemb. 1612.

Vestri amantissi. amicus,  
Thomas Risley.



**D**omine Dr. Rogo, tantum mihi officij præstes,  
vt pro viginti his solidis de præstantissimâ illâ  
Quintâ Essentiâ mittas. Nam prout tibi narra-  
bam, vnum solummodo ex illis vitris ad meum pro-  
prium reseruaui vsum: et hoc etiam quidam ex inti-  
mis meis amicis à me obtinuit: adeò vt vix vnicum  
iam mihi supersit granum. D. Brianus Cauë Eques  
Auratus violentâ febre correptus fuit: ille post sump-  
tionem huius Medicinæ, vnum solummodo paroxismum  
sustinuerat, et deinceps perfectè sanatus est. Et  
quidam ex meis seruis ardentissimâ febri correptus fu-  
it: quem cum domum redirem, moribundum inveni.  
Propinaui ei de hac Medicinâ, paulò ante proxismum,  
quæ copiosissimos excitauit sudores: et post du-  
as repetitas vices (Deo sit laus) perfectè sanatus est, &c.

L O V V G H B V R R O V V D I E  
Sancti Mathæi. 1612.

*Firmissimus tibi amicus, H. Skipwith.*


Domine,



**D**omine, paucis post tuum discessum horis, Dr. Lewknor hue aduenit ad Dn. meum Episcopum Wintonensem. Et cum post cœnam Dn. Episcopus relationem habuit quandam de viribus et effectu tui potabilis Auri, Dr. Lewknor ad hæc respondens ait, quod die Saturni proximè iam elapso, adueniens ego ad Cowdrie, generosam quandam fæminam inueni iam morituram: loquela ipsius fuit amissa, nec præsentem aliquem agnouit. Huic per vim Cochlear vnum potabilis auri in os infudi. Illa protinus Convulsiones quasdam perpetua est per duas integras horas: tunc repeto Chochlear vnum, et sudor non exiguus invasit: tertia vice post duas horas repetto, et in somnum suauem incidit. Euigilans autem dixit: Detis mihi plus de eodem: postea autem optimè quieuit per integrum noctem. Sequentia autem die, ego ad illam iueram spectatum quid ageretur: et inueni eam comedentem de pullastro. Hæc retulit Dr. Lewknor coram Dn. Epis. eius etiam Episcopi fratre, Steuardo Iuris Ciuilis Doctore, filio Dn. Epis. meipso, et alijs.

WALTHAM 15. Augusti. 1612.

Tua felicit. studioff. Tho. Webbes.



**H**ic ipse Dr. Lewknar, cuius fit mentio in predicta Epistolâ, poste à misit ad me ipsum Epistolam, expertens plus de eodem Auro potabili. Viderat autem hic vir doctiss. iam antè huius Medicinæ mirabiles virtutes in nuru suâ, filii sui uxore Epileptica; de qua re iam antè ad me scripscrat, quemadmodum partem eius Epistolæ primo nostro Tractatui appendicis vice adiunxi- mus: unde absque dubio, multi ex inimicis meis ipsiusq; veritatis, cum valde accusarunt, quemadmodum ex sequenti eius Epistola ad me missâ vide-re licet, que sic incipit.

Dr. Antoni, ego amarissimè taxatus sum ideò, quod testimonium dederim de bono illo successu vestri potabilis Auri; quod tamen omnino me deterrere nequit: Scio ego pro certo Aurum Potabile ritè confectum (ad quod paucissimi peruererunt) summarum esse virium. Sit quomodo cùnq; sit, credo eisdem vestrum esse valde bonum; Experientia hoc edocuit. Mittas igitur ad me vncias duas per hunc meum Cognatum; et scribas ad me an præualeat in Mensibus mouendis, &c.

Pro certo tibi polliceor, quamdiu euentum videro bonum, Collegium totum non me auersurum: ita similiter nec vlla amicitia, adulatio aut lucrum inducet me vñquam, vt approbem periculosam vllam aut incertam Medicinam, &c.

TVVS GEORGIVS LEVKNAR.

Nullum



**N**Vllum est mihi dubium (optime affinis) quin gratum tibi fuerit, de effectu tui Potabilis Auri aliquid audire. Quædam mea vicina, vxor Ro. Downinge de vitâ periclitabatur post longam et diuturnam ægritudinem (préces enim in Ecclesia pro eâ habitæ fuerunt). Ego ac meus filius Barnerus à meridie ad eam accessimus : aderant etiam ex vicinis plurimi. Inter quos Medicus quidam, qui præsentibus nobis propinavit ægrotanti potionem quandam. Illa autem protinus eam euomuit: Tum maritus eius nobis affirmauit, quòd intra mensis integris patium ne Cochlearis vnius quantitatē de quacunq; re assump- sisset, quin eam similiter euomuisset. Hinc filius meus valde me sollicitabat, vt darem ei de Potabili tuo auro Cochlear vnum. Non assentior, tamen, cum pro mortuâ omnino haberetur, atq; idcirkò Medicinæ fi- dem (fortasse) detraheret, ac mihi met ipsi foret op- probrium, Nihilominus importunitate victus, dedi Cochlear vnum, quod retinuit, præter nostrū om- nium expectationem. Nec ita multò pòst, calor qui- dam naturalis sparsim per totum corpus fusus est, vbi anteà præ frigore semimortua videretur. Tum, de Cereuisia cum Mace et crusta panis incoctâ vnâ cum Cochleari vestræ Medicinæ obtulerunt, quod simili- ter ipsa hausit, et post mediam horam Cochlearia ali- quot de eadem Cereuisia absq; Medicinâ ebibit, ac digessit totum. Tertio die pòst, misimus ad eam ser- vum nostrum, cui illa nunciauit se comedisse maiorē pulli partem, et iperare se venturam ad nos post pau- cos dies, &c. Scias insuper quod quidam M. Boswel-

Concionator de Parochia de Saffron Walden in Co-  
mitatu Essexiæ, serio mecum egerit pro vnciâ vnâ Po-  
tabilis Auri: vxor enim eius ex longâ ægritudine de-  
plorata est habita. Illa autem ex vnicâ illâ vnciâ  
tantum leuaminis sensit, vt deinceps ad  
te miserit pro maiori eiusdem quan-  
titate: quam cum accepisset à  
te, remansit ad me meam  
vnciam, et magnas  
gratias, &c.

COVLLING 23. Die Maij. An. 1611.

Vestri certe amantissimus cognatus,  
Tho. Wolrydge. (Iusticiarius est  
in Comitatu Essexia.)

Ab



**A**B honorabili et Nobili Domino Praeside  
Eboracensi, Domino Sheffeld, sequens Epi-  
stola missa est ad Magistrum Edmardum  
Smyth, Iurisconsultum in le Temple.

Mr. Smyth salutem, &c. Meus Dominus petit, vt  
quamprimum ad Doctorem Antonium eas, et ab eo,  
impetres, vt mittat ad Dominum meum per hunc  
Nuncium (idque quo citias eò melius) Essentia Auri,  
et Tincturae Auri, vtriusque eandem proportionem  
quam nuper ab eo acceperat meus Dominus. Multa  
fecit eiusdem Experimenta Dns. meus, idq; optimo  
cum successu, ad honorem Doctoris Antonij, et Me-  
dicinæ suæ approbationem, &c.

EBORA. Septemb. 30. Ann. 1613.

Sempertuus. Georg. Wetherye.

F Relatio;



RELATIO FACTA  
per me Eliam Holmes ex man-  
DATO DOMINI MEI EDMONDI  
SHEFFIELD BARONIS, DO-  
mini Præsidentis Eboracensis.



Xor Ioannis Goulbrough seruito-  
ris mei Domini, in Mense Augusti  
decubuit ægra per aliquot dies, an-  
tequam de eo, Domino quid inno-  
tuit: Missus tandem ego ad eam,  
inveni languidam, et miserè de-  
cumbentem. Inuoluntarium et  
continuum patiebatur fluxum: in-  
cendio magno flagrabat: venter, oculi, ac reliqua cor-  
poris membra valde intumuerunt: prorsus insomnis  
fuerat per 4. integros dies ac totidem noctes: deficie-  
bant adeò vires, vt seipsum mouere in lecto non va-  
leret, nisi aliorum ope iuuaretur. Verba quæ profere-  
bat, vix quisquam ex astantibus licet propinquis au-  
dire potuerat. Propinaui ei ex iusu Dni. mei, de Auro  
potabili cochlear vnum. Nullum autem eius effectum  
per horā quasi vnā animaduertere potueram: tam diu  
enim cum eā manseram. Postea (vt mihi ab astantibus  
nunciatum est deinceps) ægrotans eructabat aliquo-  
ties, et tandem materiam quandam aquosam è Sto-  
macho reiecit. Reuertor ad illam eodem die circa ves-  
peram, et repeto proportionem priorem: mox som-  
nas

nus invasit, quietus, sed non diu durans. Tunc, aliquantulum sentiens leuaminis, loquuta est, inquiens: Mr. Holmes, quid hoc est, quod meus Dominus ad me misit? Nam, Deo sit laus, valde refocillantur mihi spiritus, et dolores mitigantur. Ex Corde igitur pro meo Domino precabor. Obdormiuit etiam illa eadem ipsa nocte per duas integras horas: Mane iterum adueniens tertium propino cochlear, vnde parum euomuit: alii tamen fluxus nondum cessaverat: frigore enim correpta fuit ab incuria custodiæ, vnde dolores acres inuaserent, et tanta virium deiectio, ut operam et oleum (quod dicitur) me amississe omne existimauerim. Sed Deus nobis adfuit, cui placuit huic benedicere Medicinæ. Nam post 4. aut 5. alia assumpta cochlearia, ventris cessauit fluxus, recuperantur aliquæ vires, adeò ut erigere se in lecto valeret et cibum capere: post alia tria deinceps cochlearia passa est ut vestiretur, et si quis parum sustineret eam, valebat per Cameram hinc inde deambulare. Assumpserat illa in toto cochlearia 13. Tum demum agnoscebat se optimè sanitati restitutam fuisse, egitq;

Deo gratias: Mihi autem sic locuta est: iam quæso labori tuo ultius parcas, &c.

Febris maligna.

**T**Homas Taylor, quidam ex Servis œconomi præcedenti anno, circâ idem anni tempus, malum lignissimâ febri correptus fuit et durante diu: Etiam si enim vir valde robustus esset, ita tamen debilitas fuit ex violentiâ febris, vt vix se sustinere potuerit aut erectus incedere: appetitus etiam ita fuit prostratus, vt per longum tempus nullum admitteret Nutrimentum. Sæpe quoq; ac si furiosus esset, è lecto noctu surgens in terram procubuit, ibidem manens donec remoueretur ab aliquo forte interueniente. Hoc anno in eundem inciderat Morbum ex omnibus indicijs ac circumstantijs. Primus Paroxysmus per sex horas perdurauit, cum Cordis dolore acerrimo, ita ut exclamaret violenter. Meus Dominus non permisit vt aliquid ei daretur in hoc Paroxismo: Sequentे die, eadem superuenere Symptomata: tum Dominus me misit ad ipsum, cui dedi cochlear vnum: post hanc assumptam Medicinam, reiecit per vomitum sæpius repetitum materiam pessimam: Cessante vomitione, dedi illi aliud cochlear, et superdormiuit: Paroxysmus etiam mitior euasit, et per tres solummodò perdurauit horas. Tertio Paroxismo adueniente dedi aliud cochlear, et intrâ quartam horæ partem euomuit: deinde dedi aliud, et exiguo tempore post iterum vomuit: tertia vice dedi cochlear, et hinc ad sedes vrgebatur, quibus dum vacaret, euomuit copiosam materiam, atque hæc fuit pessima, diuersis coloribus mixta et mucilaginosa. Post hunc vomitum, dedi iterum cochlear in eodem Paroxismò, et superdormiuit, neq; ullum in postrum sensit Paroxysmum, &c.

Alius

**A**Liis in nostris ædibus seruus, nomine Henricus Febris Con-  
Kickinson, quotidianâ febri superiori illi non tinua & ma-  
absimili affligebatur: Accerrimus dolor omnes ligna.  
suos occupauerat artus, imprimis autem ipsa ossa,  
vnde ad tantam imbecillitatem redactus erat, vt ne  
tactum alicuius perferre potuerat. Ex huius febris  
malignitate tantâ, quasi ad insaniam redactus est, cum  
amissione et loquelæ, et agnitionis cuiusquam. Ad  
eam imbecillitatem est redactus, vt de morte omnes  
cogitarent qui eum agnouerunt. Per quatuordecim  
dies in hoc statu perdurauit. Tandem ego ad illum  
sum missus. Primum quod ministraui cochlear con-  
ciliauit ei somnum, per horam vnam aut circiter: ex-  
pergefactus parum vomuit. Nocte eadem aliud coch-  
lear obtuli, post quod dormiuit per duas horas. Tum  
demum locutus est ad hunc modum: An non vteri-  
ùs adhuc accessurus est ad me Mr. Holmes, et huius-  
modi alia protulit, clarè demonstrans se plurimum bo-  
ni accepisse ex eo quod dederam, Deoq; gratias hinc  
egit. Totum quod ei dederam ad undecim cochle-  
aria accessit. Ille (adiuuaante Deo) sensim emendatus  
est, et tandem conualuit.

Multos alios huc adducere possem, quibus præsen-  
taneum auxilium hoc Remedium præstítit: Inter  
hos, Domini mei liberos, tam masculos quam fæ-  
mellas, qui varijs affecti Morbis, sæpiissimè sunt sani-  
tati restituti hoc vnicó Remedio. Etiam ipse meus  
Dominus solet eius ex vsu præcauere sæpenumerò  
Calculum. Tuetur etiam sanitatem ex eo integrum; et  
Domina mea etiam multum inde leuaminis in perui-  
cacissimis affectibus est experta.

Paralysis &  
stupor pár-  
tiūm.

**D**Eniq; de meipso hoc confiteri licet. Ego aut vertigine , aut grauiori fortasse Morbo sum vexatus. Sæpius enim in anno cum perfectè sanus esse videor, loquela mēam subitō amissam sentio, idq; per spaciū mediæ horæ ; postea, capitis dolorem acerrimum : tum stupor quidam primo plerumq; impetu labia et linguam inuadit ; pōst ad manus descendit, easq; extendit ad modum Paralyseos, tum ad pedes usq; descendit. Per totum hoc tempus capitis dolore affligor : Vomendi etiam desiderio te-neor, sed vomere nequeo, antequam hoc Paroxismo per sex horas aut circiter detentus fuero : tum demum vomere incipio , cum difficultate tamen. Post duas autem aut tres vomitiones meliusculè me habeo : Vix respirare valeo dum in hunc modum affligor, nec loqui, nec intelligere, nec audire, quid dicatur : Tandem in somnum incido, et pōst reualeleo. Sed non mox perfectè sanus euado : imò, non nisi post septimanam integrām. Deo ita visum fuit, vt Londini in Mense Decembris, 1613, cum præsens esset meus Dominus, subitō sensi, ex visu meo paulatim tunc deficiente, et ex capitis dolore consueto , appropinquare Paroxismū mei Affectus. Precabar igitur veniam à meo Domino, quia non valebam negotia eius expedire quibus eram intentus. Ipse mihi præcepit, vt mox asumerem de Potabili Auro ; in mēa enim fuit semper custodiâ . Ego autem efficacius mixturam feci quam solitus sum, et tunc assumsi. Post quartam horæ partem confortati sunt spiritus ac sensus : et frigiditas, quæ me tum inuaserat vt alijs temporibus, in temperiem est redacta. Multi quoq; flatus discutiebantur

bantur, tām per superiora, quām etiam inferiora. Desiderium quoq; vomendi habui, ac etiam dormiendi : verū meus Dominus concedere hoc noluit , sed in ambulatione me detineri iussit. Intrā horam autem optimè reconualui, nisi quòd caput parum adhuc doleret : Verum (Deo habeo gratiam) in visitatum Paroxismum non incidi. Adhæc solutam mihi fecit aluum, cum solito modo sim magnopere constipatus. Hoc mihi semper incumbit malum, verū ab eo tempore persisto sanus. Annus autem præteriit integer. Hæc omnia, si necessitas postulauerit, iuramento attestari sum paratus. Hic subsisto

*Vester amicus Elias Holmes,  
dicti Domini cubicularius.*

FEB. 4. 1614.

**N**on possum intermittere quin hoc loco Reuerendissimi, pietate , doctrinā et virtute ornatissimi Domini, Domini Thomæ Biloni Episcopi Wintoniensis dignissimi, Patroni mei honoratissimi mentionem cum debitâ reuerentia faciam ; qui prout est vir authenticus et fide dignissimus, buuis nostri Auri Potabilis , à Deo ipsi inditas vires et efficaciam apud omnes, summos & Magnates prædicat et attestatur : et, si necessitas postulauerit, vel ipsi Regiae domui et familiaribus verè attestari poterit, quomodo non solum ipsem in afflictâ sui corporis valetudine (dum continuis circa Biblia sacra una cum aliis ex Hebraico in Anglicum sermonem translata conferenda mace-

F 4.

raretur.

raretur laboribus) sed etiam alii inxumeri ex gratiis sue charitatis communicatione per Aurum Potabile nostrum optimè sanitati sint restituti: Cuius honoratissimi viri, cum ipse suâ viuâ voce plus authoritatis desideranti præstare possit, quam ego eius ad me literarum recensione, scriptis missas attestations hic lubens prætereo, contentus paucorum, ex multis, commemoratione, et testimoniis, quibus Reuerendissimus dictus Dominus Episcopus in summis necessitatibus et periculis Morbis liberaliter id communicavit, et post efficius eiusdem breuiter annotari voluit, ut sequitur.

Mandatum accepi à Domino Episc. vt diligentius inquirerem de ijs, qui in hoc Comitatu de diuersis Morbis conquirentes, sanitati pristinæ sunt restituti per Aurum Potabile datum eis ab Episcopo, in deploratâ suâ valetudine, alijs remedij frustâ priùs tentatis. Ego cum paucis solummodo adhuc conuenire potui, vicinis (videlicet) nostris. Alij autem quamplures sunt, qui remotius à nobis habitant: quos, vt commodè potero in posterum conueniam. Melius, vt spero, ero instructus, ubi tu huc ad nos proximè advenieris, quod breui futurum spero.

W A L T H A M E P I S C O P I  
Nouemb. vltimo. 1612.

Tuus semper Anth. Langford  
Secretarius Dni. Epis.  
Winton.

Reuerende

**R**uerendevir Dr. Antoni, licet tibi penitus signata sim; tamen cum diuina prouidentia te nobilis Scientiae peritum, præcipuam causam constituit deperditæ meæ valetudinis restaurandæ; nolui silentio præterire, quantoperè sim deuincta honoratissimo Domino Epilcopo Wintoniensi, qui ex suâ bonitate ac fauore visitato, gratis mihi elargitus est de Auro tuo potabili, debili meo ac infirmo corpori valde amicibili. Peto igitur ut de eâdem Medicinâ âte impetrem, cum id totum, quod habueram, sit erogatum. Operationem eius inuenio blandam ac mittem supra alia omnia quæcunq; Medicinalia. Temperatum quendam sudorem promouet, humorum malignitatem mitigans ac soluens. Quantoperè ego id aestimem, hæc mea Epistola erit pignoris vice. Obnixè eum rogo, à cuius imperscrutabili Potentiâ tanta processit virtus, ut tuis inceptis faueat et benedicat. Cuius gratiæ te commendo, &c.

Bene tibi exoptans Lucia Iervoice uxor  
D.Tho.Iervoice, Equitis aurati.

**Q**uotidiana febris per integrum septimanam me inuaserat, cuius duo Paroxismi adeò vehementer me excruciarunt, vt de vitâ pericliter. Cum ego in tertij Paroxismi medio æstu, de Auro potabili cochlear vnum assumpsi, et intra quadrantem horæ, grauissimi mei dolores cessarunt, qui anteâ sunt soliti, per tres aut quatuor horas me affligere:

G

Febris quotidiana.

gere: Calor etiam post horam vnam omnino remisit, et optimè me habui. Sequenti die expectatus Febris circuitus per totum illum diem non reuersus est: nocte tamen me grauiter affixit: accepi igitur, vt prius, Potabilis Auri cochlear vnum, quod, vt prius, operabatur: sudorem etiam promouebat, et sic ex gratiâ Divinâ à Febre liber euasi.

*Alexander Olfelde.*

Febris Con-  
tinua.

**D**omine, de ægritudine mei filij hoc tibi sit notum. Quotidianus fuit illius Morbus: Cum frigore semper incœpit veluti febrili, quod tamen eum non diu detinuit: mox ardore admodum vehementi flagrare est solitus, qui per tres aut quatuor horas perdurabat: interim vomitu crebro corripitur. In hunc modum indies per integrum Mensem et eo amplius excruciatus est. Post varia frustrâ tentata, accepit tandem Potabile Aurum, idq; in initio ipsius Paroxismi: quod primâ vice vomitum compescuit, et ardoris vehementiam sedauit. Hoc repetit per tres aut quatuor sequentes dies, vnde sensim decreuit paroxismus, atq; ita eum penitus reliquit.

DVR LAY 10. IANVARI. 1612.

*Franciscus Fortescue  
Armiger.*

SEQVI-



SEQVITVR BREVIS  
collectio et relatio quorundam  
PAVCORVM IN HOC COMITATV  
SOVTHAMPTONIÆ, QVIBVS IN SV-  
is ægritudinibus Aurum potab. opem præsttit, ex  
ore eorum verè relata coram me

*Antho. Langforde.*

**T**HOMAS Wheeler de Waltham co-  
lonus, annos natus 67. nouâ quâ-  
dam et incognitâ, sed tunc tem-  
poris vslitatâ ægritudine (ex quâ  
plurimi moriebantur) per inte-  
grum mensem detentus fuit, atq;  
adeò de vitâ periclitabatur, vt  
publicæ preces in Ecclesiâ fue-  
rint habitæ, et Campanæ sonitus bis editus. Ille in  
deplorato hoc statu, Potabilis Auri portiunculam  
quandam accepit, atq; illicò aliquid sensit leuaminis,  
sudauit etiam per horam vnam aut alteram: deinde,  
acceptâ aliâ portione, superdormiuit quasi per ho-  
ram: tertiâ vice accepit, et per vomitum reiecit hu-  
morum copiam. Postea autem sensibiliter veluti per  
gradus restituta est sanitas, quâ, Deo sit gratia, per-  
fectissimè adhuc gaudet, et diu frui poterit, licet ad-  
modum prouectæ sit ætatis.

Morbus ma-  
ligni moris.

Febris Con-  
tinua ardens.

**E**dmundus Laurentius de Waltham, vir generosus, ætatis 36. annorum Ardentis febre continuâ spacio duorum dierum ac noctium absq; intermissione vexatus est. Accepit cochlear vnum aut pa-  
lo minus potab. Auri, ac post medium horam melius se habuit calore euanescente, & corpus eius sensim in pristinam temperiem redijt : atq; in hunc modum breui tempore sanitatem recuperauit.

Febris acuta,  
ardens.

**E**gidius Ethericke de eôdem Colonus, natus 40. annos, acuta ac ardentis febre per octo dies ac noctes detentus fuit : quo toto tempore nec dormire nec quiescere potuit. Huic datum fuit Auri po-  
tab. cochlear vnum, et posteà sub vesperam aliud cochlear, vnde dormiuit eâdem nocte per duas horas: proximâ nocte assumens eandem quantitatem, totam dormiuit noctem, atq; ita sanus euasit.

Febris quo-  
tidiana.

**G**Wilhelmus Hills ibidem habitans Colonus, an-  
norum 55. in quotidiana febri quintum susti-  
nuerat Paroxysmum. Appropinquante autem sexto, assumpsit cochlear vnum de Auro potab. quod frigidum anticipauit paroxysmum, et conciliauit ipsi sudorem ; et post tantundem denuo acceptum, primò bonum vomitum, posteà tres mouebat sedes : dein dormiuit, quod non fecerat per quinq; præcedentes dies ac noctes; et sic sanatus est.

Iohannes

**I**ohannes Walter Colonus, 40. annorum, in quinto Paroxismo tertianæ febris, accepit cochlear vnum de potab. Auro, vnde intra horam vnam paroxismus illum reliquit, nec redijt amplius.

Febris tertiana.

**I**Dem Iohannes testatur, quod postquam ipse met curatus fuerat, duo adhuc cochlearia potabilis Auri a pud se habuerat. Ea dedit puellæ cuidam in Parochia de Hambledon, annorum 14. quæ ex tertianâ decubuerat per quadrantem anni, et magnopere languebat: sanata est etiam ista per duo illa cochlearia.

Febris continua.

**H**enricus Hindle de Waltham, annorum 47. per quinq; dies continuos, absque intermissione vllâ, continuâ febri correptus fuit. Ille nec edere nec bibere quicquam valebat quod non euomeret. Post quintam exacerbationem sesqui cochlear de potab. Auro accepit, quod retinuit, et induxit ipsi sudorem quendam continuè per quatuor horas: tum denuo tantundem assumpsit, et per tres vltérius horas sudauit: postea surrexit è lecto, et euomuit pintam vnam viscosi et crassi phlegmatis. Et post duas horas de carne vitulinâ comedera, quam etiam optimè retinuit et digessit. Sequenti etiam die foras egressus est, et breui tempore pristinam sanitatem recuperauit, quâ adhuc fruitur.

**J**ohannes Cole de Waltham, Mercator, annorum 43. grauissimo Cordis dolore afflictus, per spacium trium dierum insomnis erat, nec ullum alimentum sumpserat: vnde adeò infirmus viribus euasit, ut de vita periclitaretur. Hinc propinarunt astantes de Auro Potabili, nesciente ipso quid egerint: intrà horam unam aliud etiam cochlear; et paulò post tertium, vnde sudor continuatus est, et in spacio duorum dierum perfectæ sanitati est restitutus.

**P**ersonæ omnes inferius notatae, acceperunt quoque in perduto suo statu, Aurum Potabile à Domino Episcopo: verum cū ijs nondū locutus sum: Nihilominus certū est eos optimè curatos à periculis Morbis.

*Robertus Moore, Clericus, et Magister in Artibus, noua febrilaborans.*

*Hamme generosus in eadem.*

*Vxor Magistri Arnewood in foresto habitans in eadem.*

*Vxor Magistri Cotton de Mansione, quæ vocatur Roche-Courte.*

*Vxor Iohannis Hawkeswoorth de Waltam ex chronicō Morbo, quo diu laborauerat.*

*Richardus Pecham.*

*Senex vietus et veternosus quidam, nomine Tho. Beale, atatis centum annorum, sanatus, et etiam dum superstes.*

*Edwardus Searle generosus de Corhampton, in noxa febri, de qua diu ante decubuerat.*

*Nicholaus Prior.*

Hucus-

**H**ucusque descripta et posita literarum testimonia, cum saltē pro Exemplis, et non omnium singularium enumeratione habenda sint; intelligenti et Candido Lectori satisfactura non dubito. Nec verò velim Lectoris benevoli patientiā lubens abuti: alias possem his longè plura et prolixiora producere: cum constet, per totam Angliam vix esse Comitatum, aut ditionē aliquam, unde non promeo hoc Auro potabili impetrando, et diuersis Nobilibus et generosis viris insuis necessitatibus conferendo, missum sit: quod, ut satis euincere liceret, omnibus profuit, nulli obfuit unquam, ita, ut Fato Diuino suns attribuatur locus, cui non Medicus nec Medicina humana, at solum cœlestis medicari poterit. Adhac quilibet ingenuè consideret, quod non mei instituti fuerit, (ut nec est Dogmatici Medici, nisi certas ob causas) à quoquam feliciter hoc auro potabili curato testimonium curationis expetere. Nunc autem in sequentibus breuem offero annotationem personarum quarundam et agritudinum, quibus hec nostra Medicina præsentanciam opem, post Deum, prestitit.

Non tamen in Centurias redigam: paucissimis contentus ero. Nec nostri est propositi, Curationum à me publicè habitarum in conspicuis locis, mentionem facere, nec circumstantias hic adiicere, idque ob causas peculiares. Saltem insignia quædam quasi obiter ingeram, veluti in sequentibus apparebit.

**V**T quo maior est Solis Splendor, eò umbræ à corporibus solidis et opacis proiectæ, sunt evidentiores; sic quò illustrior ex rebus bene ac fideliter peractis gloria consequitur, eò manifestiores invidiæ stimulos experitur. Quod vti verum est in omni huiusvitæ tractatione siue negotio, i- cù in primis in Curationibus meis locum ob- tinet. His, Liuor ille nulli parcens, et Calum- nia veritatis inimica, in initio quidem pro posse et more suo restiterunt: Sed nunc no- lentes volentes à Temporis filiâ, quæ est Ve- ritas, victi ex Dei nutu succumbunt. Ut autem ingenuus Lector eò melius huius Medicamenti innocias virtutes perspici- at (præsertim si à maleuolis aliter quam optimè, de eo quid supponere incitetur) v- nam aut alteram ab invidis arreptam ansam aut occasionem me falso calumniandi, pro- ponam, et breuiter explicabo.

Exanthe-  
mata.

**Q**uidam in hoc regno nobili ortus prosapiâ, Nobilissimus Eques Auratus Adolphus Ca- rye, cum in morbifica quædam symptomata incidisset, atque ideo Medicum famâ clarissimum ad se accersisset, acceptis ex eius præscripto medica- mentis, inter quæ et purgatiuum, non saltem primas venas, sed validè satis euacuans, paulò post Exanthe- matis laborare visus est. Quorum eruptio, cum (vt ar- bitror)

bitror) nimis forti reuellendi vi à Medicamento purgante impedita fuisset, et fortè incuriâ, nescio quâ, factum, vt variolæ, nec copiosè satis effuerent, et quæ comparuere, retrocederent. Vnde æger in præsentissimum vitæ periculum inciderat, adeò vt omnes adstantes de eius salute desperarent. Missum est igitur ad ægri fratrem, vt secum solitos Medicos mox adduceret. Verùm cum ille neutrum domi offendisset, atq; hinc ob fratri desperatum casum valde mæsus, mihi obuiam fortè fortunâ in viâ factus esset, me ad se vocatum rogat, vt secum ad fratrem decumbentem contendarem: Quod, cum Medicorum ipsi addictorum nomina audiuissem, ipse detrectaui, præsertim cum ante hoc tempus, dictum Dominum nec de facie, nec alias familiariter de nomine noueram. Ad quæ ille respondit, Sese, qui me bene ex amici cuiusdam curatione optimè nouerat, optare, et poscere, vt in tām honesto proposito sibi adesset: Cui cum morem gererem, ad ægrum accedens sub noctem, inueni ipsum omnino in pessimo vitæ statu, delirantem et furibundū, absq; quiete ac somno. Disparuere omnino Exanthemata, et venenū cor strenue adoritur. Ministrati ei de hac meâ Medicinâ cochlear vñ: quo assūpto, mox quieuit, et aspectu mitiori visus, in somnum leuem incidit. Post horam vnam, adhuc tantundem ei ingessi: vnde se bene habere, et vires maiores, confortatis spiritibus, recepisse ipsem contestatus est, et amplius superdormiuit. Sudor etiam naturalis per totum corpus se manifestauit, atque iterum, quod optimum signum erat, Exanthemata dicta apparuerunt. Ego per integrum illam noctem ipsi adfui, et per interualla debita repeto Medicinam, nunc meraciūs per se, nunc dilutiūs in brodio aut alio liquore. Mane proximo, cum vñus ex eius Medicis accederet, ac me præsentem animaduerteret, occasionem hinc aucupatus, acriter

in me inuehitur, quòd apud suum ægrotum adesse: Cui responsum, Meab ijsdem ægro proximis adductum etiam inuitum, à quibus alii Medici rogati fuerant, et forte maioribus precibus. Tantum absfuit, vt iam dicti Medici in salutem ægri, quem videbant nunc in bono statu, mecum consultarent, et coniunctis operis Curationem prosequerentur, vt etiam non quieuerint antequam mē alegassent, licet contrā ægri et astantium voluntatem. Qualem inuenerim hunc ægrum superius dixi: qualem reliqueram apparet similiter. Quid refrigerantis, aut astringentis syrapi, Electuarij aut alterius Medicinæ per totum illum diem administratum fuerat, omnino nescio: Hoc tamen scio, quòd sequenti nocte in eadem relapsus est symptomata quæ prius: fortasse verò ex defectu prioris Alexiterij, quod validè satis per superiorem integrum noctem, repetitis vicibus assumptum, materiam morbificam protrusit foras: iam autem omnino intermissum est. Satius fuisset, venenum quod superrat, eādem quâ prius Arte extirpasse radicitus. Nam absq; dubio reliquiæ erant. Regurgitantibus igitur ijsdem Exanthematis à superficie ad centrum, seu ab exterioribus sui partibus versus Cor, eadem symptomata et mala apparere necessum fuit, quæ prius. Recidiuæ huiusmodi periculosisimæ sunt, vbi cunque ægris accidere solent, quales huic Nobili viro Domino patientilethales contigerunt. Quod cum dicti Medici, in quorum manibus et Curâ moriebatur, vidissent, unus eorum in Aulâ Regiâ suæ quasi innocentia, meæ autem culpæ commissæ præconem agens, mortem ipsius proclamauit. Nec hoc solum, sed me coram Collegio Medicorum Londinensium detulit, ac citatum iniustissime accusauit: Vbi cum testes meæ legitimæ et innocuæ actionis satis locupletes producerem,

cerem, nempe quatuor ex seruis adstantibus Domini demortui, qui vno ore attestati sunt, me ad dictum suum Dominum in extremis iacentem, desperatum, et delirio iam præoccupatum, cum variolæ disparuerant, accessisse, eique post Aurum potabile nocte per vices à me ministratum, sensum mitiorem, quietem et symptomatum omnium remissionem, nec non variolarum eruptionem copiosam apparuisse: vnde in bonâ temperie fuerit. Sequenti verò die, cum me excluso, dicti Medici suas mixturas illi propinassent, omnia in deterrius adeò cônuersa esse, ut mors subsecuta sit. Ac insuper Regia Maiestas huic actui meo coram Collegio transigendo quatuor Nobiles et honore conspicuos viros, nempe duos dicti Adolphi fratres, Dnm. Henricum et Dnm. Philippum Carye, Equites auratos, Dominum Kneuet Baronem, et Dnm. Guilhelmum Godolphin Equitem, deputasset, iisque rem omnem velut aetate esset, quomodo ego eum acceperim (nempe in extremitate mortis) et reliquerim (in bonâ temperie) illi verò eundem à me acceperint (in statu optimo) et reliquerint (in ipsa morte) Regiae Maiestati detulerunt; in quem Regia Maiestas culpam eius necis iniecerit, satis constat. Adhuc cum dicti demortui duo fratres adhuc superstites sint, possunt, prout tantos viros omni exceptione maiores (qui nihil in mei gratiam nec alicuius odium dicturi sunt) decet, si rogantur, de hoc negotio veritatem dicere. Insuper ratio ipsa convincit, quod à nocentibus et iuuantibus satis firmum deduci possit argumentum. An non Medici iubent, quod illud, quod sensibilitè ægrum iuuerit, cæteris paribus, continuandum sit, quod noxiū, fugiendum? Hinc Equi et Boues umbram petunt in æstu; cum hunc sibi nociuum, illam proficuum senserint. Iuuit autem ad miraculum meum Aurum potabile. Quod

inde constat, quod sensus et mens redierunt, somnus et sudor subsecuti, variolæ copiose eruperunt. Illorum verò Medicinæ quæcunque fuerant, nocuerunt; quod inde patet, quia symptomata priora funestissima redierunt, nempe delirium, variolæ retrò reuulsæ disparuerunt, et mors subsecuta est: quæ ut est linea rerum, ita quoque tanquam recto lineæ ductu demonstrat, si hominis culpa commissa sit, cui imputanda. Ex his itaque circumstantijs quas oportuit melioriores recensere, cuilibet, nisi malitiosè veritati sit aduersus, apparet, liuorem instar aranei, ex optimis quid mali exugere, et in despectum Medicamenti huius verè aurei nil non machinari. Quod nisi adhuc quotidiè à prædictis inuidis reipsâ fieri animaduertissem, eos (nimirum) contra conscientiam propriam et omnem virtutis respectum calumnijs falsissimis multorum aures, meam fainam, et dicti Medicamenti innocentiam vulnerare et onerare, hanc veræ historiæ relationem non produxissem, quâ ipsis apologeticè responsum sit.

Vomitus,  
cum animi  
deliquio &  
tortura cor-  
poris.

---

**G**enerosa virgo *Cæcilia* Boulstred, ætatis circiter viginti amorum, Reginæ à seruitio notissima, grauissimis symptomatibus affligebatur. Ad quam cum Celeberrimi ex Collegio Medici numero sex vocarentur, ab his omnis opera impensa in administratione Medicamentorum cuiusq; generis, tam Cordialium, quam ad morbificas causas respicientium, prout illa in Pharmacopolijs prostant, vel alias Arte singulari parata erant. Adfuit ei assiduus vomitus, et rejectio omnium assumptorum, Cibi, Potus, et Pharmacorum, cum animi deliquio, cruciatu actoraturâ

turâ totius corporis. Lugendum à multis nobilitate conspicuis spectaculum. Perferebat illa totos dies atq; noctes insomnes ; vnde velut à Morbi magnitudine ac diurnitate, itâ et dolore continuo, ac quietis somniq; priuatione miserè afflita, viribus omnino destituta est. Ne minimum quidem liquoris seu iuscuculenti , aut alterius nutrimenti, apud se retinere potuit : Ventriculus ob inediam omnino contractus et sui officij oblitus videbatur. In hoc statu miserabili, cum nihil aut parum leuaminis , per duos integros menses sensisset , remedij per dictos Medicos administratis, sed omnia potius in peius, quam melius, tenerent : hinc mater Generosa huius fœminæ à Medicis præsentibus quæsiuit, Anne breui quid auxilij suæ filiæ præstare se posse sperarent ? alias se velle me accersere. Medici itaq; assumunt sibi præscriptum tempus, in quo omnem possibilem sibi operam adhibuerunt , vt me omnibus excluderent modis. Iusserunt itaq; Pharmacopolam, per diem noctemq; sequentem Dominæ ægræ assidere, eiq; singulis ternis horis, quid de Cordialibus aut alijs Medicamentis in os ingerere. Quo finito, cum iam sese nihil proficere animaduerterent, Accersite (inquiunt) Antonium, et sit Deus ei propitius. Ad hanc igitur cum venissem, auxilio Medico orbata, et derelicta ab omnibus , Deum obtestor , vt Medicinæ huic benedictæ solitas vires largiri dignetur. Mox consideratis omnibus, non cochlear integrum, vt communiter, imò vix quartam cochlearis partem primâ vice illi propino : quod, vt verum fatear, veluti alia omnia hactenus , regessit magno cum sonitu et vehementiâ : paulò post, iterum tantundem præbui : quod similiter reiecit eodem conatu. Hinc tertiam vice ministraui , cuius aliquam partem quoq; reiecit, aliquam tamen retinuit , cum conflictu

(vt nobis videbatur) tamen quodam. Tunc suasi vt aliquandiu respiraret, ne nimis irritaretur Natura, et vt experiretur an somnum aliquem capere posset. Re- posuit igitur se in dextrum latus, et superuenit somnus per integrum horam satis profundus, quod praesenti- bus nobis omnibus manifeste satis apparuit ex sterre- re : et hoc omnibus valde videbatur mirum. Exper- gefacta autem, meliusculè se habere confitetur. Iam quarta vice semicochlear propino, quod totum apud se retinuit. Atq; sic mihi ac plurimis astantibus No- bilissimis fæminis, Curationis spes non mediocris ap- paruit. Neq; illa nos, ex Dei nutu, frustrata est. Nam ex consequentibus eiusdem Medicamenti assumptio- nibus semper in quantitate maiori, eius vires, spiriti- bus confortatis, non solùm indies auctæ fuerunt, sed et Morbus euictus, symptomatibus cessantibus sensim omnibus. In hunc modum, Deo sit laus, grauissi- mam hanc symptomatum cateruam hoc vno bene- dicto auxilio repulit extirpauit, cum maleuolorum in- vidiâ, astantium stupore, et amicorum gaudio maxi- mo. Non hæc imposturæ aut corrosiæ virtutis signa sunt : sed Corroborationæ et Dogmaticæ insignia.

---

Syntomata  
prægnanti su-  
peruenientia.

**V**XOR Nobilis Domini Francisci Leake, Equitis Aurati, cum prægnans in summam maciem cor- poris incidisset, ac insuper grauissimis sympto- matibus ex copiosa pituitosæ materiæ collectione af- fligeretur, nempe spuitionis molestissimæ fluxu, vo- mitione præterea omnium quæ assumperat: varijs Medicamentis per totum illud tempus, ferè quinq; mensium, quo in hunc modum laborauit, vfa, nihil auxilij sensit omnino; idèoq; vel abortum, vel propriæ vitæ

vitæ discrimen incursum se non absq; causâ verita est. Hinc ex persuasione amicorum, qui nostræ Medicinæ efficaciam optimè nouerant, assumpsit tertio ferè mense ante partum, de Auro potabili, repetitis aliquot viciis: vnde non solum vomitus et spuitio mox cessauit; sed et ipsa toto tempore gestationis optimè se habuit, donec partu fælici filiolum ediderit satis viuacem et adhuc superstitem.

*Vixit*  
**V**xor Nobilis Domini Edwardi Barret Equitis Aurati, et soror superiùs nominatæ Dominæ, laborans difficillimo partu, adeò ut Obstetrices quotquot aderant, de salute tām matris, quām fætus desperarent: ex consilio Dominæ cuiusdā nobilis tum præsentis, aliquantulum assumpsit de Auro Potabili nostro: quo hausto, præter omnium adstantium opinionem et spem, mox liberata est fætu viuido et bene se habente. Verū quia ex Naturæ imbecillitate Secundina apud eam mansisset, atq; hinc in idem aut maius periculum incidisse videretur, accepit denuò de eādem Medicinā, quā Secundinam fæliciter eiecit, pristinæq; sanitati pōst optimè restituta est.

*Imiliter in aliis quamplurimis difficultate In difficultate  
partus laborantibus, atque etiam ipso fætu partus.  
mortuo in extremitate omni derelictis mirabiliter profuit: adeò ut hac in parte vix quicquam  
Medicamenti fælicius administrari possit, ex  
quibus exempli vice paucè sequuntur.*

*Hanc non usitata vxor*

---

**V**xor Iosephi Pemberton in Ciuitate Ipswichie,  
in summâ difficultate Partus liberata est per  
Potabile Aurum.

---

**V**xor Generosi viri, cuius nomen , Horatio Pa-  
lauasino,in eodem partus periculo liberata est  
huius Medicinæ ministerio.

---

**V**xor Thomæ Blackborne Ciuis Londinensis,  
postquam per duos integros dies in partu peri-  
clitaretur , assumpta Auri potabilis vncia una,  
qualibet (scilicet) vice ad cochlearis mensuram , tan-  
dem liberata est.

---

**V**xor Nicholai Colman habitantis in Parochiâ  
Sancti Bartholomei Magnâ , in ipso vitæ peri-  
culo nostram imploravit opem, et nutu Dei post  
assumptam hanc Medicinam Infantem peperit, et sa-  
na euasit.

---

**V**xor Magistri Foxton Londinensis, habitans in  
vico Rubræ Crucis, summo in vitæ periculo fu-  
it ex fætu mortuo: A quo, post assumptionem  
Auri

Auri potabilis fæliciter liberata est, et pristinæ sanitati restituta.

---

**V**xor Magistri Castoll generosiviri in Comitatu Essexæ, in eodem vitæ periculo consistens, cum ex Obstetricis relatione fætus per duos iam dies mortuus expelli non posset, hæc nostro Auro potabili adiuta, eundem fæliciter eiecit, subsequenti sanitati eius integra.

---

**V**xor Magistri Harde, habitans in vico vocato, Monte Sancti Petri, à fætu mortuo liberata fuit: Quæ, cum doloribus, et alijs vehementissimis Symptomatibus etiamdum afficeretur, ipsi vxori Magistri Fitzgarret Armigeri ibidem propè habitans, de Auro meo Potabili, quod tum penes se habuit, sequenti post partum die circiter horam nonam matutinam propinavit: unde eodem die circiter horam secundam pomeridianam alio fætu mortuo fæliciter excluso, post optimè se habuit.

---

**V**xor Magistri Iohannis Bingley Receptoris pecunia Regiæ, fuit in discrimine vitæ ob summam partus difficultatem; Hinc Matrona quædam generosa tum præsens, adferri curauit de Auro potabili, quod parturienti propinavit: Atq; siceam non solum periculo liberauit, sed et in causâ fuit, quod fætus viuus et sanus hoc Medicamento fæliciter in mundum sit editus.

**V**xor Domini Iohannis Pretiman Equitis Au-  
rati, puerperam agens, febri ardente, cum vigi-  
talijs alijsq; symptomatibus, molestissimâ corre-  
pta est. Quæcum alijs remediorum generibus vti nol-  
let, nec securè poterat, desiderauit solum hoc nostrum  
Aurum potabile assumere: unde breui perfectissimè  
curata est.

**V**xor Magistri Edmundi Kingston in Comitatu  
Glocestriæ, in puerperio laborans febri æstuosa;  
et fluxu per aluum sanguineo, eadem Medicinâ  
a quadam generosâ Dominâ, ipsi, vt et proximè præ-  
cedenti, propinata, fælicissimè sanata est.

**S**imili modo vxor Christoferi Blackwell de eodem  
Comitatu, puerpura, à febri et fluxu alui, hoc Me-  
dicamento reconualuit.

**V**xor Iohannis Sherington, Mercatoris Londi-  
nensis, imprægnata, propter accidentia quædam  
abortum verita; idem Medicamentum sumpsit,  
et benè suo tempore sanum fætum edidit.

Ex.

**E**x quibus appareat hoc Medicamentum esse diuersissimorum virtutam: nempe factum mortuum, ut aliquoties retulimus, expellere: et vivum conseruare, ne ante tempus expellatur per abortum. Nec hoc solum, ut matri conueniat, sed etiam infanti recentiato, veluti patebit exemplis, quod sequitur.

**V**ix Magistri Richardi Browne Armigeri, habitantis in Parochiâ quæ fuit olim nigrorum fratum, grauissimo partu aliquamdiu periclitabatur, adeò ut binas obstetrices apud se haberet: Cui cum generosa quædam fæmina ex vicinis suaderet, ut de Auro meo Potabili assumeret, vna ex Obstetricibus dixit sese habere æquè huic rei conuenientia et meliora, quam Aurum potabile foret. Verum cum illarū ope, nec spes aliqua salutis appareret, dicta generosa curauit quid de Auro Potabili adferri, et laboranti ministrari. Hinc continuò optatissimus effectus, Deo dante, sequutus, et ægrafætu viuo liberata est. Postridie cum eadem vicina accederet, et inueniret Infantem recentem natum in gremio obstetricis, non bene dispositum, obstetrix ipsa rogauit eam, ut de eodem Auro potabili aliquid huic Infantulo daret: Cui cum referret vicina, an nunc yellet Infantи tantillo id præbere, quod heri matri dissuasisset? Obstetrix respondit, se vidisse mirabiles effectus, quos præstisisset in matre, nec dubitare, quin eosdem in hoc Infantulo absq; illa noxâ præstiturum sit. Eoq; dicto præbuit Infantи cum lacte materno, qui et optimè inde se habuit, et sanus éwasit.

**S**i itaq; cam tenellis pueris, qui vix lucem  
huius mundi hauserint, et morbificum affe-  
ctum (antequam malâ victus ratione uti po-  
tuerint) secum ex utera matris attulerint, hec  
Medicina, ut et in puerperis, grauidis et pericli-  
tantibus in partu, tam mirabiliter operetur, vel  
hoc solo nomine dignissima esset, ut non solum in-  
precio, sed et promptu haberetur; hoc est, ut No-  
biles et generosæ famine ante et post partum, Au-  
rum potabile semper penes se haberent, quo sibi, et  
exiguis suis Infantibus, quotiescumq; necessitas po-  
stulauerit, in tempore succurrere possint. Cum ip-  
sa, ut et pueruli, nulla alia fortiora, aut minus in-  
cunda Medicamenta (quaæ interdum vel ipsa copiâ  
sunt onerosa) ferant aut admittant.

Pefis.

**D**ominus Ludouicus Leuknar. Eques Auratus,  
anno 1611, correptus vehementissimis symp-  
tomatibus cum febri ardentissimâ, vocauit ad  
se Medicos duos huius Ciuitatis sat celebres: qui cum  
omnia auxiliorum genera ipsi per sex dies adhibui-  
sent, nec febris astum, aliaq; symptomata mitigare  
possent; sed omnia in peius cum eo tenderent ingra-  
vescentibus malis, ac Bubone quodam in Inguinibus  
apparente, verissimè pestem esse contagiosam (quaæ  
tum Londini passim, nec ab eo tempore, grassata est)  
pronunciârunt. Ideòq; cum alios multos Nobiles in  
vrbe viros visitare tenerentur, ne eos inficerent, sece-  
ipsum ut relinquerent nolentes volentes cogi. Atq;  
sic.

sic dictum virum Nobilem in extremis tanti Morbi periculis à Curâ suâ abdicârunt. Ad quem vocatus, licet primò luis ignarus, mox tamen ex signis præsentibus, quale genus mali esset, cognoscens, eum non relinquendum putauit: sed omni modo annitendum, ut contagium à Corde reuocaretur, illo corroborando præsenti quodam et satis forti Remedio. Dedi itaq; ei sex grana de Essentiâ Auri mixtâ cum Auro Potabili et aqua Cardui, quantitatis sufficientis. Vnde paùlo post in sudorem incidit, qui per integrum noctem, et sequentis diei permagnam partem continuo perdurauit. Repeto eandem potionem sequenti nocte et diebus proximis quatuor, eâdem ferè quantitate. Atq; hinc, sudore copiosissimè erumpente, non solum febris malignitas et æstus remisit, viresque satis constantes permanerunt; sed et Bubo, qui ad insignem magnitudinem deductus erat, indies imminutus est, et tandem euanuit, applicato saltem stiptico quodam Emplastro. In hunc modum, Morbus tam lethalis et contagiosus priùs à me ex Dei gratiâ curatus fuerat, quam vulgò cognitus. Nec iam inuulgandus, nisi ipse Dominus tum optimè restituus, de Morbi sui genere, et Curatione hac, apud amicos sâpe narrauerat: A quo contagioso affectu, cum Bubone similiter complicato, anno præcedenti eiusdem Ludouici Vxorem similibus auxilijs, Deo propitio liberaueram.

**D**omina Edmundes vidua, circiter 78. annos nata, in Aulâ Regiâ, vt et præcedentes, satis nota, tribus ab hinc annis Hydropica facta, omnia patiebatur symptomata et signa quæ hoc genus affectus comitari solent: Adfuit obstructio viscerum,

I 3.

Epatis

Obstructio  
viscerum cum  
hydropoe.

Epatis et Lienis : hinc non solum valde intumuit, sed et contabuit, sanguificationis officinâ obsessa et impeditâ. Huic de Auro potabili, debito modo et tempore, aliquid propinatum, per repetitas vices. Vnde et Morbus grauissimus in ætate tam graui propulsatus et sanitas postliminio restaurata est, vt adhuc omnibus munijs suis obeundis absque ullâ difficultate apta sit, nullo alio Medicamento vsa, quam nostro Auro. Non autem hæc Nobilis Domina pepercit diligentia aut sumptui in eo assumendo, vt à tam diris affectibus, qui eam morti addicare viderentur, liberaretur. Nam circiter 12. dies manè sumpsit grana tria Essentiæ Auri cum cochleari uno liquoris seu Auri potabilis, atque tantudem vesperi sub horam somni : Sub cibum quoque prandij et cœnæ eiusdem liquoris absque Essentiâ cochleari unum hausit: atque hinc sensim in minori quantitate : Cum enim Natura sit operatrix et propulsatrix Morborum, atq; hæc in prouectioribus ætate non adeò firma aut vegeta vt in iuuenibus, hinc restauratio sæpius et copiosius repetito opus se habere animaduertit ad euincendum Morbum: quod nec fecellit.

Symptomata  
in sene curata

**D**ominus Thomas Parry Eques Auratus, ex priuato Regiæ Maiestatis Concilio, ætatis anno. rum 77. vel circiter, hyeme iam nuper elapsa, tussi continuâ ac violentâ, quâ noctibus diebusq; molestabatur, ad eam debilitatem redactus est, vt somno maximâ ex parte noctis interrupto (quod saltē per duas primas horas cepit, post vsq; ad lucem tussi maceratus) non solum ad officia publice gerenda inhabilis esset, sed quoq; vix se domi viribus sustineret. Ad hunc cum accessitus venirem, eumq; de Europota-

bili

li assumendo in hoc casu satis probato, præ cæteris admonerem, non solum boni consuluit hoc meum consilium, sed etiam maximè sibi salutare expertus est. De dia autem illi mané ieuno, atq; horâ vnâ ante prandiu et cœnam de eodem Auro potabili cochlear vnum singulis vicibus: atq; præterea singulis noctibus post somnum primum noctis (quem Natura concessit per duas tantummodò horas) grana duo Essentiæ auri in liquore dicto soluta. Hac Essentiâ sūptâ, mox superuenit somnus qualibet nocte, tussi remissa, in multâ lucē perdurans. His continuatis, vires quoq; mirabiliter (vt ipse quoq; sæpè prædicare est solitus, adhuc superstes) indies restauratæ fuerant, vt officio suo in tanta ætate, in quâ tusses alias difficillimæ Curationis habetur, satisfacere possit absq; molestiâ. Deo sit laus in æternū.

**Q**uidam generosus vir, annos viginti natus, cuius nomini parcendum, ad me venit ex Comitatū non longe abhinc remoto, conquerens, quod noctu diuq; semē sibi genitale inuoluntariè deflueret: indeq; summa corporis extenuatio, cutis discoloratio, cum instanti tabe oriretur. Cum verò vnicū esset patris satis locupletis filius, ac ex parentum consilio quandam in matrimonium ducere teneretur, tentatis priùs, quotcunq; potuit, auxilijs: tandem meo hoc Auro potabili, tam ad vires recuperandas, et maciem tollendam, quam fluxum cohibendum, usus est tam fæliciter, vt mox ductâ coniuge, corpulentus satis, et nouâ prole latus, post Deum, magnas mihi gratias reportârit. Siue enim hoc fluxionis genus ab intemperie Renum calidâ, irritatâ vi expulsive, aut alias retentiuâ debilitatâ, siue ex aliâ causa Catharrosâ, phlegmaticâ, aut biliosa oriatur, indeque macies, perinde est. Cum hoc uno Remedio

Gonorrhœa  
cum macie  
corporis.

materiæ superfluae per vrinam vel sudorem educantur, qualitates noxiæ eius temperie contemperentur, sanguis purificetur, spiritus vitales augeantur et venæ corroborentur, vnde necessariò hæc symptomata originem ducunt.

**V**XOR Roberti Dixon Secretarij Dai. Henrici Montegue Militis aurati, Recordatoris Londonensis, ex fætu mortuo, ardentiissimâ et continuâ febri afflita fuit, cum magnâ symptomatum congerie. Ad quam curandam tres Medici vocati omnia præsidia ex Artis methodo præscripta, quantum ipsis possibile fuerat, usurparunt. Sed quantum opis inde senserit, hinc patet, quod ab ijsdem denegatâ manu Medicâ, omnino derelicta fuerat. Cuius miseratione et compassionē ducta Nobilis quædam Matrona, Domina Tanfilde, de meo potabili Auro ad illam misit, quæ tum insensibilis erat. Ex astantibus quidam ministravit illi in os cochlearvnum, vnde sudor blandus consequutus est, somnusq; invasit. Post somnum redière sensus et loquela amissa: repetunt cochlearia interiectis vicibus. Vnde ex Dei gratiâ omnis æstus cum cæteris afflictionibus cessarunt, et in paucissimis diebus ipsa extra omne discriminem vitæ posita videbatur. Verum cum post paucos dies, ex incuriâ, nimium aeris frigidiusculi hausisset, incidit in stuporem quasi Paralyticum totius corporis: Vnde omnia membra refrigerata, loquela et sensus debilitati, viresque prostratae fuerunt. Tum, eadem Nobilis Domina, ipsi aurum potabile denuò propinari curauit, quo, sudore mox perfusa, profligatâ omni morbificâ causâ, sanitati optimâ sensibiliter restituta est. Eadem, cum annis

annis sequentibus, ijsdem omnino affectibus tam calidis quam frigidis post factus viuos editos affligeretur, vnico hoc nostro auxilio vsa post Dei opem, semper sanata euasit, adhuc superstes.

---

**G**enerosa virgo, filia Nobilis viri Magistri Fizgarret, aetatis circiter annorum vndecim, Peste Pestis correpta, solummodo Aurum potabile cum Esfentiâ Auri accepit: atq; hinc omne periculum ex Dei nutu euasit, beneq; sanitati est restituta.

---

**N**ulum est dubium quin Aurum hoc potabile (ut genuinum promittit) si pluribus in luis illius pestiferæ, omnium Morborum maxime horribilis, desperatis casibus tanquam summum Cordiale et Alexipharmacum propinatum fuisset, iisdem salutiferum exitisset. Verum ab eo tempore, quo hoc Arcano fruor, ea non fuit hic Londini Epidemia, nisi sparsim in initio huius usus, quod hoc loco monendum esse duxi.

---

**E**x relatione ipsius generosi Guilhelmi Bold de Comitatu Hamptoniæ, accepi, vxorem eius affectibus præternaturalibus quibusdam detentam male se habuisse per integrâ septimanam. Hinc cum apud Reuerendissi. Dominum Episcopum Wintoniensem ipse conquestus esset, se se ab eius R. Dig. acceptisse Auri potabilis aliquam portionem: quâ propinatâ,

piatâ; vxorem eius per alui solutionem magnam materiæ quantitatem pervices eiecisse, indéque meliusculè habuisse: Verum cum idem affectus rediret, nempè materiâ morbificâ nondum satis euacuatâ, monuit maritus vt eodem Medicamento vteretur: quod cum ipsa renueret, rogata causam, alui solutionem ab auro potabili causatam, sibi molestam adeò, vt selecto continere non posset, prætendit: Alui autem solutione illâ cessante, cum peius ægrotaret, persuasit illi maritus vt denuò id assumeret. Atque sic eodem auro potabili assumpto, alui solutione clementissimâ subsequutâ, perfectè reconualuit.

Febris maligna.

**M**Agister Guilhelmus Rowden, in Aula Regia Marshallus, septuagenarius, febri continuâ, cum æstu maligno tenebatur; vehementiâ verò symptomatum, ac proiectæ ætatis imbecillitate victus, nullum ex astantibus agnouit, itâ vt res ad extremum déuenisse cum eo videretur: Tum, vt alias sapientiâ, ubi nulla relinquitur spes, itur ad nos. Ego adueniens, contrâ spem deploratum hunc è mortis fauibus eripio. Nam post propinicationem potabilis Auri vna cum Essentiâ, in consuetis dosibus, vigor Medicinæ Morbi malignitatem euicit, vires restaurauit, æstum extinxit, et materiam morbificam per debitas vias urinæ, et transpirationem cutis, non sine sudore supertieniente, è corpore eduxit, sanitatemque, quâ adhuc fruitur, induxit.

Magister

**M**agister Guilhelmus Gore, Mercator transmarinus ac primarius Ciuis, Sexagenarius aut citer, mensibus nouem febri quartanâ conflitatus, ac post multorum Pharmacorum ingestionem viribus omnino destitutus, cum omnem Medicinæ consuetæ usum abhorreret, ex auditione cognitum habens, Aurum potabile nostrum nec iniucundum assumptu, singulare esse corroboratuum, illud assumere primâ occasione voluit. Verum ex Medicorum ipsi familiarium conceptâ ergâ me inuidiâ dissuasus, per aliquot septimanas abstinuit, donec summâ necessitate tandem, nempe Morbi longitudine, et vehementiâ, virium collapsu, et frustaneâ aliorum remediorum non sine fastidio adhibitorum usurpatione, cogeretur ad me mittere pro Auro potabili: quod cum aliquamdiu in consuetis dosibus assumpsisset, atq; hinc contrâ inuidorum detractiones manifestè sensisset vires sibi refici, quotidiéq; Morbum minui, ac penitus abiagi: post id temporis hoc Medicamento adeò salutari, tûm ad suos suorumq; Morbos curandos, tûm ad sanitatem conseruandam, carere noluit; sed id hucusq; in possessione retinuit, et fâliciter usurpauit.

**V**T autem contigit cum prædicto viro, quod ab inuidis calumnioso persuasus mentem alienam ab Auro potabili prius habuerit, itâ cum plurimis Nobilibus et generosis huic Regni usu venit, quod illi in summis suis egritudinibus

K 2

hoc

hoc lubentissimè usi fuissent ad suam salutem, nisi ab iisdem calumniatoribus, Medicis quibusdam potius suo lucro quam aegrorum vita consulentibus, forent à bonâ suâ opinione alienati et retracti. Verum Cordatores, et quibus non ut pueris, terriculamentum inane fieri potest, pro suâ discrezione facile distinguent, quid sibi bonum et salutare potius existat, quam consultoribus huismo- di lucrosum: quid ab invidiâ proficiscatur, quid à veritate. Atque ideo non semper illorum monitis obsequentes erant, etiam si ex liuore animi, tam benedictâ Medicine restiterint, et potius aegro sanitatem inuidierint, quam sua placita reprobari concesserint.

Vrinæ stillicidium in prouecta ætate,

**M**agister Mathæus Dale, Iusticiarius et Iudex, aetatis 76. annorum, affectu senibus multis consueto vexatus est, nempe perpetuo stillicidio vrinæ: unde noctes insomnes diesque cum dolore transsegit, ut vires tam ex priuatione somni, quam cruciatu continuo in illo senio facile minuerentur. Vigiles et eo amplius in tempore somni vrinam redde- refuit coactus. Hic tantum leuaminis in Auro potabili inuenit, ut ab alijs Medicamentis quibuscumque omnino abstineret. Nam ex eius usu, dolor et hæc molestia abierunt, et sanitas illi ætati congruens redi- jt; nec eius usum reliquit, donec post aliquot annos in locum illum communem nulli hominum vitabilem, ex fato diuino concessit, annorum plenus.

Vxor

**V**XOR eiusdem Septuagenaria, tabida ex Pulmonum vitio et tussi facta, eiusdem Medicinae beneficio, quasi alias moribunda, per aliquot annos sustentata est. Tabes cum tussi.

**D**Ominus Guilhelmus Hericke. Eques auratus, ex vxore suâ duas filolas, vnam post aliam suscepit, quarum singulæ circiter vigesimam ætatis suæ hebdomadam Epilepticis convulsionibus cor-  
reptæ, obierunt. Hinc cum tertiam ex eâdem vxore natam haberet, nutricem, cuius lactis vitio reliquas obijisse existimabat, mutauit: aliâ in eius locum receperat. Cum hæc filiola ferè decimam sextam ætatis septimanam ageret, similiter Epileptica facta est. Vnde Pater sollicitus de salute eius, cum audiuerat meo Auro Potabili eiusmodi infantulos à Convulsionibus fæ-  
pé curatos; Nutricem cum Infantula ruri degentes, ad se vocauit: tunc ad me quoq; misit. Huic infantulæ cum de Auro potabili et Essentiâ Auri aliquandiu de-  
dissim (interim non neglectâ Nutricis suæ ratione) filiola benè liberata est, idq; circa tempus Veris. Ve-  
rûm cum eandem Curam circâ initium Autumni rei-  
terari consulerem, vt ipsius Morbi radix extirparetur  
penitus, parentes fortè arbitrati, cum benè se haberet,  
non opus fore, aut fortasse admonitionis mæ imme-  
mores quod consului neglexerunt: Vnde in eundem  
Morbum recidisse suam filiolam animaduertunt.  
Hinc secundâ vice ad me miserunt, vt inceptam Cu-  
tationem perficerem: quod et cum Dei gratiâ com-

pleui, et ab eo tempore exactis iam tribus annis, nullum paroxysmum sensit.

Epilepsia.

**A**d eundem modum curatus est ab eodem affetu filiolus Domini Georgij Write Equitis Aurati, eiusdem Medicamenti efficaciam ac viribus.

Chronica  
ægritudine  
desperatus.

**I**anitor Domini Henrici Hubbard Equitis Aurati et Iudicis Regij, nomine Johannes Vnet, ætatis 46. passus est ex Chronicâ ægritudine tantam virium deiectionem, loquelæ priuationem et sensuum debilitatem, ut pro iamiam mortuo haberetur, ac non solum omnibus valedixisset, sed etiam Campanæ pulsatio eius nomine iterata foret. In quo quasi mortis articulo consistenti Domina Hubbard, de Auro meo potabili aliquantulum adferri iussit, eiq; in os infundi. A quo ille, qui morti erat deputatus, vitæ restitutus est, ex Dei viuificantis virtute et gratiâ. De eiusmodi Raymundus Lullius libro de quinta Essentiâ loquitur.

**M**ortuos appellamus non illos, qui simpliciter sunt mortui, sed secundum quid, id est, secundum opinionem Medicorum; illos nempe dico, de quibus ultimâ desperatur, ita quod à Medicis et à vita actibus sunt derelicti in sanctum, quod etiam sensibus non utantur, &c. Pro mortuis igitur reputati, si vitam ac vires recipiant Quintâ Auri Essentiâ, à mortuis reuixisse dicendi sunt.

Huc

**H**uc quoq; spectat aliis vir senex, vicinus Nobilis Domini Ludouici Leuknar: cuius nomen Robertus Brodebottom, qui ad similem seu extremum vitæ suæ statum erat redactus, ut pro more, Campanæ sonitus in Ecclesiâ, per horas aliquot auditus eius de causâ foret; Quâ de re cum sciscitatur dictus vir Nobilis, ac senem suprà nominatum in agone existentem animaduerteret, misit ipsum aurum potabile quod ipse apud se reseruatū habuerat, ac hominem à morte ad vitam hoc modo reuocauit. Nam eo accepto in somnum incidit, et simul in sudorem, à quo, sensus et loquela redierunt, et pòst, ipsa sanitas.

**N**obilis filia ac hæres Dni. Waltheri Coape Æ-  
quitis aurati, Exanthematibus siue variolis e- Exanthemata.  
rupturis conflictata est non sine periculo, cui  
ad expulsionem iuvandam propinatum est Aurum po-  
tabile in solitis suis dosibus: atq; hinc apparuerunt  
Exanthemata, et ipsa pòst benè conualuit.

**A**d eundem modum quamplurimis alijs in Ex-  
anthematis, variolis et morbillis hæc Medici-  
na ad faciliorem eruptionem contulit. Nomina  
quorum recordor, sunt sequentia.

Generosa Domina, vxor Richardi Ogle Ordinis  
Equestris.

Generosa quædā fæmina à seruitio Dominae Barret.

Generosus Iuuenis et Asseclæ Domini Hen. Carge  
Equitis Aurati.

Eiusdem Domini filiolain Morbillis.

*Eiusdem filius et hæres in variolis.*

*Filiola Dni. Rich. Nortonii Equitis aurati, in Morbillis, qui superueniente frigore, intrò repulsi magnum periculum intentabant: Verum assumptâ Essentiâ Auri in lacte muliebri disolutâ, illico conualuit.*

*Filiolus Edwardi Cordwell Londinensis Ciuis.*

*Servus Magistrò Marshe Armigeri, qui tunc temporis habitabat in vico vocato Coleman streate.*

*Ancilla quedam inseruiens Magistro Roberto Dixon Secretario Dni. Henrici Montague Equestris ordinis.*

*Alia Ancilla inseruiens Magistro Iohanni Morris Mercatori.*

*Infans Magistri Price serui Regii.*

Quotidiana experientia insuper testatur, quamplurimos difficulti Exanthematum eruptione, tam adultos quam natu iuniores adeò periclitari, ut, licet Morbus per se non magnæ Curationis aestimetur, tamen in præsentissimum vitæ discrimen, ac ipsam mortem haud paucos conijciat: quibus si eiusmodi Medicina probatissima, quæ Cordi in corroborando, et malignam Exanthematum materiam expellendo, suppetias præstet, ad manum sit, ac in tempore et modo debitissimè propinetur; nullum erit dubium, quin Diuino fauente numine, expulsiuâ virtute auctâ, et materiâ expellendâ subtiliatâ, hoc vno eodemq; Medicamento fælicissimè euadent. Cuius usus vti semper saluberrimus inventus est ijs qui assumpserunt, ita multis qui eo frui non potuerunt, et immaturâ et dolendâ morte in primo ætatis flore (non raro Medicamentis à superficie ad Centrum, seu à cute ad Cor materiam reuellentibus

bus irritati) succubuerunt, absque dubio ex Dei nutu  
prosperimos effectus demonstrasset.

**N**obilis Domina Dorothea Skot, vidua, ætatis  
70. annorum, cùm vomitione continuâ quæ  
ex morbificis causis diutissimè collectis or-  
tum habuit, affligeretur, nec quicquam cibi ac potus  
retinere posset, atq; hinc viribus extreme deiectis lan-  
guida foret, Auro potabili accepto refocillata est:  
Vndè satis conspicuum est, hanc vnam eandemq; Me-  
dicinam et interdum vomitiones, vbi à natura requi-  
runtur, excitare, et easdem, vbi superfluæ sunt, sedare.

Vomitio  
continua.

**M**Agister Napper, Armiger, habitans Oxoniæ,  
ætatis 60. in Diarrhæam, vna cùm vomitione Diarrhæa  
vehementiori incidit, quâ varie colorata et in cum vomiti-  
magnâ quantitate tam per aluum, quam os eiecit, non  
sine adstantium stupore. Expertus Medicorum non  
solum eius loci, sed quoq; quotundam Londinensium  
Curationes, nihil aut parum operis persensit. Nam  
cum diu ita maceratus esset, vsq; ad extremam euacu-  
ationem, et debilitationem totius corporis, licet tunc  
illa symptomata remiserunt ad tempus; tamen vbi ci-  
bis ac potu vires aliquatenus recuperasset, mox in i-  
dem malum inciderat, per multas vices successivas per  
integrum annum. Tandem, quasi desperans de hac te-  
nus usurpati Remedijs, filium suum ad me alegauit,  
vt et casum patris exponeret, déq; meo Auro potabili  
quid ipsi apportaret. Hinc breui Morbus remittitur, et  
tandem vir dictus sanitatem recuperavit, vt Oxonien-  
sium plurimi norunt, et hic Londini attestati sunt hoc  
ipsum, non sine omnium admiratione.

L

Vxor

Puerperæ  
symptomata.

**V**XOR MAGISTRI GUIHELMI WISEMAN IURISCONSULTI,  
post partum incidens in symptomata difficilli-  
ma, nempe fluxum tām per matricem quām a-  
luum, vñā cum perpetuis vigilijs et virium imbecilli-  
tate, vnde in præsentissimum vitæ periculum, prout in  
eiusmodi puerperij casibus accidere solet, coniecta,  
nostro Auro potabili cum Essentā auri, quibus aliquo-  
ties pēr vices ordinarias vtebatur, sanitati integræ re-  
stituta est.

Febris Ende-  
mia.

**D**ominus Edwardus Barret Eques Auratus, in  
Comitatu Essexiæ quandoque commorans, v-  
bi cum ex febri Endemiâ, istis locis vtpote pa-  
lustribus, quotannis populariter grassante bis diuer-  
sis vicibus decubuisse, toties beneficio huius Medicinæ  
Aureæ ab ista lue perfectè liberatus est. Nec ille  
solum, sed plurimi ex seruis eius, vltrâ denos, diuersis  
temporibus eodem Morbo laborantes, inter quos œ-  
conomia præ cæteris miserrimè afficta est, vt omnes  
devitâ eius desperarent; nihilominus ex Dei gratiâ  
codem Medicamento breuissimè sana euasit. Sunt au-  
tem illæ febres istis locis satis morosæ, quæ multos  
menses plerumque perdurare solent, nec facile Reme-  
dium huic malo accommodatius inuentum est. Eo-  
dem modo innumeri ibidem ab his febribus curati  
sunt, quos omnes recensere non est huius loci: veluti  
quoque idem Morbus in Cantœ Comitatu frequen-  
tissimus est, ijsdem ex causis, vbi sæpiissime quoque no-  
stræ Medicinæ efficacia, eodem tælicissimo effectu sat  
cognita est.

Magister

**M**Agister Temp. Sauage, Iuris Ciuilis Doctor eodem affectu Endemio febrili in Essexia decumbens, me ad se aduocauit pro huius mali Curatione. Ad quem accedens, antequam quid Medicinæ administrassem, video ipsū incidiſſe præterea in Convulsiones seu Contractiones partium extre-  
rum, Manuum, Pedum, Oris, &c. Huic cum dosim vnam de quintâ Essentiâ auri in pondere quatuor granorum vnâ cum Auri potabilis cochleari propinasssem, post paucissimas horas symptomata ista grauissima, subsequente sudore copiosissimo, cessarunt; ac mox, eâdem Medicinâ reiteratâ, omni morbisico affec-  
tu libere euasit.

Febris Ende-  
mia cum con-  
vulsionibus.

**I**Dem, anno præcedenti aut eo amplius à Morbo Chronico, quo diu afflictus, Medicorum eius loci, ut et quorundam Londinensium, consilio usus, nihil inde leuaminis sentiens, adeò ut pro desperato haberetur, nostro Medicamento, et auxilio, post Deum, non destitutus, sed integrè curatus fuit: veluti plurimi eius ditionis, si opus sit, attestari possent.

**H**oc ipso anno iam currente, cum idem vir clarissimus febri malignâ populariter gravis sante hic Londini corriperetur, ad hanc Febris ma-  
quoq; Medicinam confugiens Dei auxilio præsen- ligna.  
taream inde opem reportauit ex assumptione illius per aliquot vices repetita. Vnde breui domum ab  
hinc per 17. miliaria se contulit. Verùm aeris aut  
motus repentina inopportunitate concitatus, in symp-  
tomata convulsiva (que olim quoq; passus fuerat  
ab assumptis quibusdam Medicamentis non con-  
uenient).

venientibus, incidit. Misit itaq; ad me denuo pro  
quintā meā Essentiā Auri; quā propinatā omnes  
dilecti adfectus subito sedati sunt et penitus sublati,  
et Mox valetudine integrā mox subsequutā.

---

Obstruc-  
tiones visce-  
rum.

In difficultate  
partus.

Difficultas  
respirationis.

**T**Homas Driwood in Essexiā, vir benē notus et sat  
locuples, ætatis 30. annorum, de Northoken-  
den, ex occultis quibusdam obstructionibus, a-  
liisque causis, languorem sensit diuturnum, vnde in  
maciem corporisq; absumptionem ultimam deuenit.  
Hic præsentissimam Dei manū in hoc Auro Pota-  
bili sentiens, sanitatem integrām est consecutus.

---

**V**Xor eiusdem in difficultate partus, et imbecilli-  
tate post partum, accepit quoque hanc Medici-  
nam, atque hinc speratum effectum, nempe sa-  
nitatem.

---

**F**ilia eorundem circiter quatuor annorum, diu  
quoque affectu molestissimo laborans, haustā exi-  
guā quantitate Auri potabilis, vomitione eiecit  
viscosam et lentam materiam in notabili copiā, vnde,  
cum nulla alia Remedia admitteret, mox benē se ha-  
buit, et valetudinem integrām recepit.

---

**F**iliola Iohannis Fanne Ciuis Londinensis in vico  
Aldersgate habitantis, quinq; nata annos, ex in-  
veteratā obstructione viscerum nutritionis, et  
thoracis,

thoracis, difficillimè respirans, Aurum potabile babit  
vnâ solummodo vice, vnde per vomitū, mucilagino-  
sam, et vitri instar liquidi lentam materiam, quæ vel  
cultro dissecanda foret, eiecit, atq; sic sanior euasit.

**M**Agister Guilhelmus Snelling piscium Merca-  
tor, in plateâ Thamisis habitans, filiolum has-  
bebat ætatis vnius anni Morbo Caducò labo-  
rantem, sed frequentius, nempe vigesies vno  
dié vexatū: qui cum per aliquot dies ita miserrimè affli-  
geretur, nec quid auxilij ab vllâ aliâ Medicinâ senti-  
ret, paucis in diebus cum Effentiâ Auri à malo tam  
horrendo liberatus est, nec ab eo tempore (ab hinc  
tribus annis) vnquam recidiuam passus est.

Morbus Ca-  
ducus.

**A**ncilla Domini Thomæ Smythæ Equitis aurati,  
circiter ætatis 22. annorum, grauissimis Con-  
vulsionibus et symptomatibus Epilepticis dies nes-  
et noctes incessanter excruciata, Remedia aliorum, vt-  
pote Clysteris iniectionem, nec non alia experta est  
absq; fructu. Tandem itur ad nos. Ego cum hoc Arca-  
no, sanitatem, Deo dante, Morbo curato reduxi.

Epilepticæ  
Convulsio-

**I**nfantula ætatis Annivnius cum dimidio, filia Do-  
mini Edwardi Barret ordinis Equestris, grauiter  
diu conquesta est de magno cruciatu et tormine  
ventris. Domina Paget Baronissa, Infantuli huius A-  
via dederat ei Cochlear vnum potabilis Auri. Illa in-  
L 3. continenti

Colicus do-  
lor.

continenti euomuit crudam quandam materiam et pittitosam, vnde bene se habuit per duas horas. Postea torquebatur ut prius et fortasse vehementius : sumpto autem Auro potabili, iterum euomuit, scilicet, viscosam materiam diuersis coloribus tinctam; tunc dormiuit per horam integrum. Subito autem expergefacta è somno moribunda videbatur. Omnia enim Mortis signa comparuere, cum animi deliquio, faucium lapsu, &c. adeò ut Domina Paget, per totum illud tempus Infantulam in amplexu et supragenua gerens, coacta fuerit cum violentiâ aperire eius os, et tertiâ iam vice infundere de Auro potabili cum Cereuisiâ mixtâ, quod tum denuò vomitum promouebat. Erat autem ista materia, in formâ nigræ et male olentis mucilaginis. Postea autem bene se habuit Infantula.

Ex Morbo  
Marasmus.

Quartana.

**M**Agister Tho. Allin Armiger, 60. annos natus languebat diu. Tandem viribus omnino prostratis ad tabem vsq; meam implorat opem. Hic Auro potabili restitutus est integrè, idq; paucis diebus absq; vsitatâ Pharmaciâ.

**M**Agister Robert. Small Attornatus, et studiosus Iuris, de hospitio vocato Fernifalls Inde, ætatis 35. per multos menses quartanâ laborabat satis forti, Ictericus etiam erat: qui cum à cæteris auxilijs parum aut nihil iuuaretur, Auro potabili aliquot vicibus assumpto integrè curatus est.

Similiter

**S**imiliter à quartanâ febri eodem Medicamento Quartana liberatus est Anthonius Tuttesham, 20. annorum, filius Anthonij Tuttesham generosi, de hospitio vocato Staple Inde.

**F**iliolus Domini Iohannis Talesburrow Equitis aurati, circiter quatuor annorum, febri Endemiam in Essexia populari decumbens, cum abhorreret ab omnibus alijs assumendis Medicamentis, accepit Essentiam Auri, nec non Aurum potabile aliquot vi- cibus, et perfectè curatus est.

Febris Endemiam.

**F**ilia Domini Arthuri Capel Equitis Aurati, cir- citer 14. annorum ætat. post ægritudinem diu- turnam in tabem et virium assumptionem inci- dit: Pro quâ pater ad me misit, et de Auro Potab. ali- quid expetijt, quo illa breuissimè ex Dei gratiâ, opti- mam valetudinem recepit.

**E**lizabetha Elward famula et cognata Edwardi Rugham, Peste infecta fuit. Cum itaq; Nobilis Pestis. vir Dominus Kneuet Baro, *Aula Regia Londini* præfектus, ipsi Edwardo Rugham, qui inferuiebat dicto Baroni in Aulâ Regiâ, de Auri mei potabilis vi- ribus in hoc casu narrasset, ad me missum fuit pro eo, quo, dicta Elizabetha perfectè reconualuit.

L 4

Francis-

## Paralyſis.

**F**ranciscus Wonnam de Darkin in Comitatu Sur-  
freij, Colonus, ex Paralyſi et neruorum resolutio-  
ne totius corporis laborabat. Huic Mr. Guilhel-  
mus Radcliff de Darkin, Armiger, nonnihil de Au-  
ro potabili, quod pro suo vſu contrā Calculū magno  
cum ſui leuamine à me acceperat, propinavit; vnde il-  
le ab affectu grauissimo liberatus eſt, ita ut manibus et  
pedibus pro libitu vti poſſet, vt prius.

Paralyſis lin-  
guæ.

**I**Nuenis quidam generofus, ætatis circiter 17. anno-  
rum, nomine Iohannes Studolf, moratus in ædibus  
matris ſuæ viduæ prope Darkin prædict. Paralyſi  
linguæ vna cum vomitione alimentorum correptus  
fuit. Ad quem vocatus, cum ei per tres ferè dies præ-  
ſens, de Auro noſtro potab. iteratis vicibus propinaſ-  
ſem, lequelare dijt, vomitus ceſſauit, et breui reconvalevit.  
Verum, vt intellexi ab eius amicis, anno inde  
exacto, in eundem Morbum recidit: quo, antequam  
pro Medicamento mittere potuerat, extinclus eſt.

Asthma cum  
tufſi.

**M**Agister Iohannes Coles, alias Capitaneus Co-  
les dictus, 44. annos natus aut circiter, incidit in  
grauissimum et diuturnum affectum Pulmonum, cum  
Asthmate et tufſi, nec non ſputatione purulentâ: vnde  
in tabem et corporis abſumptionem deuenerat: qui  
continuo Auri potabilis vſu perfectiſſimè sanitati re-  
ſtitutus eſt.

Seruus

**S**ervus Domini Edwardi Barret Equitis aurati,  
cui nomen Henricus Smith, loquelæ vsu ex Para-  
lysi destitutus fuit. Ad quem curandum misit ad  
me eius Dominus iam dictus pro Auro potabili. Quo  
recepto, eiq; per aliquot vices propinato, valetudo in-  
tegra ipsi rediit, cum sermone.

Paralyſis lia-  
guæ.

**S**ervus Domini Thomæ Smith Equitis aurati,  
Quartanâ febri aliquandiu afflictus, cum nihil  
sibi proficuum sensisset ex Remedijs quæ adhibi-  
ta fuerant, tandem Auro potabili perfectè curatus est.

Quartana.

**V**ixor Magistri Seabright generosi viri Londini  
benè noti, 60. annos vel circiter nata, diuersis Convulsio-  
nibus, vt pote Convulsionibus, Paralytico nes cum stu-  
pore et sensuum diminutione sæpenumerò vexata, pore.  
aliquoties relevata fuit vsu Auri potabilis nostri. Quod  
vt eo maiores vires in tanta materiæ copiâ exerere pos-  
set, monui, vt de Essentiâ Auri sæpe quid assumeret.  
Ex cuius assumptione ejecit Melancholicam et ni-  
gram materiam copiosam ; A quo tempore dictis  
symptomatibus nunquam perturbata fuit.

M

Magister

Obstructio  
viscerum.

**M**Agister Iohannes Sherington Londinensis Mercator filiolum habuit circiter tres annos natum: Cui aliquandiu ægrotanti et emaciato dederunt quædam contrà vermes; sed absq; effectu, quia omnia peiora reddi visa sunt. Verùm postquam de Auro potabili nostro per aliquot vices accepisset, vomitione materiam viscosam et crassam eiecit, unde obstructionibus viscerum referatis optimè reconvaluit.

Contra abor-  
tum.

Litteris  
adversis

**V**ixor eiusdem Iohannis Sherington imprægnata, propter accidentia quædam abortum verita, idem Medicamentum iumpsit, et bene suo tempore sanum fætum edidit. Ex quibus apparet hoc Medicamentum esse diuersissimarum virtutum: nempe fætum mortuum, vt aliquoties retulimus, expellere: et viuum conseruare, ne ante tempus expellatur per abortum.

**S**imiliter iam memorata recens nata filiola, sextum agens mensem ætatis, ægritudine correpta est vehementi: Cui idem auxilium Medicum præstítit.

Vidua.

**V**Idua Magistri Henrici Coles habitans in vico  
vocato Colman streate, tum recens ex Peste <sup>Pestis in</sup>  
mortui, cum ipsa prægnans simul à morte Mari-  
ti contagio infecta esset, et reliqua auxilia tām pro se  
quām fætu usurpanda in hoc casu nimis fortia refor-  
midaret, (quippe quæ abortum absq; dubio et mor-  
tem ipsius atq; fætus accelerassent) vsa est ex Dei nutu  
meo Auro potabili vnā cum Essentia; et illa vnā cum  
fætu saluata et liberata est.

**M**aritus obiit; vxor eodem Morbo occu-  
pata saluatur: que alias mortis causam,  
nempe fætum apud se gestauit. Nihil hic  
nisi manus Diuina videitur; quæ per Aurum pota-  
bile mirabiliter operata est. Taceant itaq; inuidi,  
et Dei miracula speculentur.

**E**Dmundus Nusum habitans propè Charingiam:  
Crucem ante Aulam Regiam, ætatis 40. Chro- Morbus  
nico diu laborabat Morbo. Tandem in grauissi- Chronicus.  
mo suo affectu, vocauit ad se Medicum huius Ciuita-  
tis, virum satis doctum et notum: qui assistens suā  
operā patienti in præscribendis et porrigendis consue-  
tis Remedijs non defuit: adeò vt nihil intentatum re-  
linqueret, quod existimaret ipsi profuturum. Interim  
cum nihil proficeret, vxori ægrotantis mortem viro  
suo in propinquo esse nunciauit. Tum misertus huius,  
Nobilis quidam vir ægri vicinus, misit ad me suum  
seruum vt ad dictum patientem venirem. Venio, et

Pharmacopœum ante ostiū inuenio, qui me his verbis affatur: In vanum laboras. Respondeo: Etiam si nihil fortè profuturus sim, certè obesse illi nolo. Ad argum cum accessisse, nec aliquam spem vitæ superesse perspexisse, nihil illi aut astantibus pollicitus, dedi tamen aliquantulum tentandi gratiâ de Auro potabili, idq; iteratis vicibus singulis ternis horis, per totam iam instantem noctem. Vnde ex Dei gratia, letho propinquus et quasi destinatus, reuixit, reualuit et restauratus est, non sine omnium admiratione adhuc superstes.

Casus deplo-  
ratus.

**M**agister Guilhel. Parkinton generosus, propè ibidem habitans, et satis notus, periculose decumbens, eodem Medico usus est per longum tempus. Ipse quantum possibile fuit, Remedijs omnis generis curationem instituit: æger tamen neutquam leuatus est. Imò deploratus est habitus à Medico ipso, à Coniuge alijsq; amicis. Ad quem tandem vocatus, propinaui quoq; ei nostrum Aurum potabile, maximè verò Essentiam auri; et sic Deus ille qui vulnerat et sanat, qui in fauces mortis nos injicit, et iterum eripit, per hoc medium hunc virum integræ restituit sanitati, ut adhuc viuat.


Febris acuta  
et ardens.

**F**ilius Pharmacopolæ paulò antè nominati, cui nomen Nathan Darley, correptus quoq; Morbo grauissimo acuto, nempe febri ardente, usus est non solum iam nominati Medici, sed plurimorum quoq; aliorum auxilijs; quibus parum proficientibus,

ac

ac omnibus cum Patiente in peius tendentibus, cum omnis sensus et loquelæ usus abesset, et mors quasi ob oculos ægrioto versaretur; pater desperans et prope rans sub mediâ coucione diei festi, ad me venit, opem que meam postulauit: cui volens cum morem gerem, ægróque de Auro potabili propinalsem, idque a quoties repetiisse, ille mox ex Dei gratiâ refocillatus, vires et sanitatem recuperauit.

**E**X quibus proximis tribus casibus, quasi ab uno eodemq; Medico, in uno quasi vicoseu loco ac fere tempore derelictis, et ab uno Auro potabili demum curatis, quilibet perspicere potest, me non nisi vocatum accessisse tum, cum omne auxilium humanum ægris denegatum esset ab aliis, et nostram Medicinam singularem benedictionem à Deo optimo Max. accepisse. Vnde non invidiâ et calumniis prosequenda et extenuanda, sed pro Dono Dei singulari honoranda et estimanda sit. Ne quis autem ideo fastidiat hoc Medicamentum, quod unum et simplex, multisque Merbis et ægris accommodatum sit: sed ideo magis extollat et in precio habeat: quia quod simplius, è veritati, quæ ipsa simplex, proximius, et econtra. Adhæc, vñigò dicitur, Frustrâ fit per plura quod potest fieri per pauciora, ut in omni vitâ, si quoq; in Medicinâ. Hinc Damascenus inquit, Scelus est, uti composito, ubi simplex Medicamentum profuerit.



X hactenus productis, et lectori candido absque ullo fuko fideliter partim ex Anglicano sermone translatis, partim in formalibus suis retentis testimonij, quilibet, (quem non à veritate fallax opinio aut prava distorsit natura, inuidiæ Morbo penitus obsessa) iudicare et discernere poterit, an non hæc nostra Medicina, Aurum Potabile verissimè dicta, sit ex maximè salutaribus, tutis et efficacissimis Remedijs; quæ hodierno die sunt in usu; tum ad Morbos deploratos, spe ferè omni abiectâ humanoq; auxilio denegato, curandos, viresque ægrorum mirificè refocillandas cum Cordis singulari corroboracione: tum ad cuiusque sanitatem conseruandam et retinendam. Quod si ita est, videntur illi ipsi qui me hactenus contrâ Deimandatum, Christianam charitatem, veritatis amorem, proximi necessitatem, et fortassis etiam contra, propriam conscientiam odio plus quam viperino prosecuti sunt, meaque omnia veracissima facta et dicta pro nihilo habuerunt, et in chartis suis imaledicis mille modis me hucusque onerârunt: non solum mihi, sed omnibus bonis, tam summæ quam infimæ sortis hominibus, maximam et deplorandam iniuriam intulisse; Mihi; quod veritatis amanti, et opera charitatis exercenti, in faciendâ hac Medicinâ alijsque communicandâ, conuitia pro honore, contumeliam pro labore, et blasphemiam pro munere retulerint: Bonis quibuscumque, quod pro suo posse impedire conentur, ne hoc illis ministretur

ad

ad sanitatem recuperandam (quod multoties efficacissimè opitulatur vbi alia quæcunq; remedia omnino sunt frustranea.) Verum ille, qui Cordium scrutator est et Iudex, ut illis liuidis viperis secundum merita faciet recompensationem; sic synceris et beneolis Donorum Dei veritatisque ipsius amatoribus, secundum gratiam et misericordiam suam, quæ est vita et salus in Christo Domino nostro, largissimè concedet. Quod si respiciamus ad antiquorum medicorum, longe supra Galenum, ætatem, et quorundam medicamentarissima, inueniemus à proposito nostro non multò alienum illud, cuius meminit Quintus Curtius libro tertio in rebus gestis Alexandri Magni, qui cum difficillimo et lethali ægritudine detineretur, et Remedio præsentissimo indigeret, nec admitteret in medicando moram, quia ad certum diem cum Dario hostematum conserere promisisset, consilium iniuit cum amicis suis ac Medicis, quibus vteretur Remedijs in hoc perduto statu. Visitata Pharmaca invalida reputavit: ignota, non admittebant Medici. Vnus tamen ex eis, nomine Philippus Acarnanus, pollicitus est concinnare Regi Medicinam et securam et satis efficacem, licet reliquis Medicis incognitam. Parmenio autem, quem Alexander maximè præ cæteris suis nobilibus fidelem sibi adiunxit, Regem dehortatus est, ipsique suasit ut à Philippo præcaueret; illum mille Talentorum munere à Dario esse corruptum. Verum Alexander post mirabilem sui à Morbo liberationem per Medicum dictum, in calumniatorem animaduertere, quem propter proditionem post occidi iussit, Medicumque fidelissimum suæ post Deum sanitatis auctorem præmijs decorare. Cuius Medicinæ operacionem nostræ non absimilem, dicto loco in hunc modum legimus. Ut vero Medicamentum se diffudit in ve-

nas, sensim toto corpore salubritas percipi potuit: Primo animus vigorem suum, deinde corpus quoque expectationem maturius recuperauit: quippe post tertium diem quam in hoc statu fuerat, in conspectum Militum venit, nec avidius ipsum Regem, quam Philippum intuibatur exercitus, pro se quisque dextram eius amplexi grates habebant, &c. Hæc ille. Similiter satis ab experientia et rei veritate innotuit, quod hoc nostro Medicamento quamplures vel eodem Morbi genere, quo Alexander ille releuat, vel similibus aut grauioribus decumbentes Heroes, Nobilesque fæminas, ab alijs Medicis derelictos, et desperatae vitæ, breuissimo tempore ex Dei nutu curauerimus, et optimæ sanitati restituerimus. Idcirco vos, ut Nobili prosapiâ ita ingenio ornatissimi viri, quicquid à calumniatoribus contrâ me mouetur, pronihi lo&gt; stimabitis: qui, non tam vestram salutem, quam meam perniciem: non tam rei veritatem, quam propriam utilitatem respiciunt: vosque potius sopori perpetuo consecrarent, quam vel tantillum ab inuidiâ suâ recederent. Vestrum erit album à nigro, falsum à vero, et lumen à tenebris discernere; méque, veritatemq; ipsam patrocinio vestro defendere et vindicare. Quod si quis vestrûm circa quædam iam prolatorum dubitet; En habetis nomina singulorum in quibus de veritate inquirere poteritis, veluti et scripta authentica plurimorum apud me videbitis. Hoc sat scio, omnes honestas personas, hoc Auro potabili curatas et sanatas, tantum Deo gratiæ habituras, vt agnoscant in hoc Dei beneficium, nec cum nouem illis ingratias, à Saluatore immediate restitutis, perpetuo silentio præterituræ, ne dicam contrâ conscientiam denegaturæ sint. Ab iisdem discere licet, quod omnibus hoc profuerit, nec ulli nocuerit; quod tam tuta, quam efficax et iucunda sit Medicina, et vere Regia, cuius est benefa-

benefacere omnibus, et ab ingratis non benè audire. Producant calumniatores contraria, ac producta à nobis tenebris obliuionis inuoluant, si poterunt: aut pudoris et conscientiæ propriæ non immemores, taceant in perpetuum. Non has Curationes Medicinales verè reales, et hominibus ægris derelictis vtilissimas, cum suis tricis et quisquilijs grammaticalibus (quibus si verba subtrahes, nihil rerum dixisse videbis) ad nullam rem nisi excitandas rixas, et veritatem obfuscandam aptis, delebunt. Imò illæ in honestorum omnium mentibus insculptæ manebunt, cum horum maleficæ chartæ non oculis aut auribus dignæ, sed alijs vñibus vilioribus mancipandæ censemebuntur. Ne vnicum inuidi illi casum referre poterunt, in quo hæc Medicina occasionem noxæ alicuius præbuerit: à quâ tamen aliæ præstantissimæ compositiones veterum, vt Theriaca, Mithridatium, et innumeræ aliæ non semper sunt immunes, præsertim si in manus imperiti inciderint. Non omnibus, quibus vñquam propinata est, Obiecio. (dicent fortasse) profuit ad vitâ, quoniam aliqui mortui sunt. Verùm his respondeo: Mortis eorum, Medicina Solutio. dicinam hanc non fuisse causam: Sed Morbum lethalem et derelictum ab alijs. Sciant omnes (inquit Hipp. Hipp. lib. de pocrates) Medicinam mala omnia tollere non posse. Arte. Fatale enim punctum evitare nemo potest. Impedimentum igitur non est in Medicinâ ipsa, sed in imperscrutabili Dei consilio, qui non vult ut ex omnibus Morbis curari possint omnes ægri; cum interdum illi nec corpus ab intemperantiâ, nec animam à peccatis (quorum merces mors est) liberari expetant.



D E T E R T I A  
P A R T E Q V Ä  
continet vsum huius  
Auri P otabilis.



Vod Philippus Macedonum Rex olim de Auro dixit, eo omnes Ciuitates, arces, propugnacula, castella etiam munitissimi oppugnari et expugnari posse: id nos, vtiliori ad hominum salutem modo, de Auro Potabili verè affirmare possumus: quòd(nimirum) vires eo corroborari, Morbus ejci, velut hostis, corpus, in star Castelli in sanitate conseruari possit, dummodò ritè administretur, quod est Medici Dogmatici. Hic enim veluti Capitaneus æquè contrà hostem ijsdem legibus, artibus, studijs, stratagematis et apertâ acie pugnare tene tur, nec minori autoritate aut gloriâ. Hostes autem inuisibiles et ex insidijs pugnantes, quo sunt pernicioſiores visibilibus et in aperto constitutis: ita et Morbi atrociores sunt quibuscunq; alijs externis inimicis, quippe qui ciuile et intestinum bellum intra ipsa hominis viscera moueant. Ex quibus si Medicus.

Medicus victoram seu stratagemate seu apertâ vi reportet, non immeritò AEsculapio debetur gallus, victorique braium. Verum prout belli gerendi contrâ hostes armatos nunc longè aliud est institutum quā antiquitūs, inuentis tot nouis bellicis machinis et armis, vti stultum sit ad Arietes et onagros, et eiusmodi antiquorum nostro tempore redire: ita quoque contrâ hostes corporis ipsissimos Morbos, et si vetus pugnandi ratio non omnino rejiciatur: tamen si qua noua auctaria ei accesserint, quale in primis est hoc Aurum Potabile, inter alia rariora Chymica rarissimum, insatum videtur ea velle spernere, et ad vulgarissima et viliora et effectu et pretio, recurrere. Sint Militibus machræ, frameæ et pugiones, quia hæc vetusta arma, vt et clypei et vmbones: at ne negligentur interim Tormenta et Bombardæ quas Muschettas vocant, cum sint noua: immo hæc illis præferantur, prout effectus mirabilis harum demonstrat. Ita in suo precio maneat Electuaria, syrupi, pillulæ et pulueres quicunq; ad Morborum expugnationem probati longo vsu. At ne Aurea vis, quæ seper celebratissima fuit, inter postrema recenseatur; quæ cum in Auro potabili sese exerat, hoc Medicamentum cæteris vt longe preciosius, ita efficacius existit. Antiquis Militibus dura lex posita fuit, non cedendi, at gnauiter pugnandi contrâ hostes. Medicis Dogmaticis et in Academijs promotis sua conscientia Iuramento Hippocratico firmata itidē suadet, iubet et vrget, non cedere Morbis quocunq; modo: at in eorum expugnationem velle vti efficacissimis quibuscunq; remedij, siue veteribus, siue nouis, dummodo tutis et iucundis, absq; alterius præiudicio, seu inuidiæ seu præminentia. Hippocrates Imperator, Galenus Rex, Auicenna Princeps nobis omnibus placeat. Interim, Dies Dici magister est, nempe posterior prioris, et

quælibet ætas habet suos riuos donorum ex immenso illo omnis boni fonte, Deo, scaturientes. Inter quæ hoc nostrum Aurum potabile, ad hominum Morbos curandos utilissimum non minimum est. Ideòq; non nisi à Momis (qui nihil probant, nisi quod ipsi fecerint) aut Mimis (qui huic simile aut longè præcessens ore promittunt, re non præstant) aspernandum erit; quales inter Medicos Dogmaticos, qui habentur pro strenuis et expertis viris, inueniri non opinor. Cum vero quilibet ex ægris, aut etiam sanis, qui nobiscum hoc utilissimo Dei dono ad hominum salutem concessò, vti et frui cupiunt, præsentem Medicum doctum vbiunque habere nequeant, quamuis ex antè dictis Epistolis et relationib; satis de vsu constet: tamen hac tertia et ultima huius libri parte, de eo, seu vtendi modo, adiecit à Morborum et symptomatum singulorum quibus commodissimè adhiberi possit, enumeratione (velut promisimus) tractabimus.

Est autem hæc nostra Medicina in triplici differentiâ seu formâ, ne quis erret in nominibus vel administratione ejus. Primò, quando solutio Auri est facta suo proprio menstruo, tum,menstruo detracto usq; ad consistentiam gummi liquidi coloratissimi (vt Lullij utar verbis) etunctuosissimi, affunditur spiritus vini, qui hinc tingitur colore ruberrimo, et separatis fæcibus albis manentibus in fundo, conseruatur per se in vitro, vocaturq; Tinctura Auri Medicinalis. In quâ formâ potest transmitti et gestari etiam ad remotiora loca leuiori onere, et absq; sui corruptione diutissimè est perdurans. Atq; hanc constituimus primam formam.

Secunda forma.

Accipitur iam huius Tincturæ vncia una, diluitur eum vncijs sedecim vini potentis, aut Hispanici aut alterius albi: tunc nominatur Aurum illud potabile cuius toties fecimus mentionem. Et cochlear vnum aut

aut duo pro vice, veletiam vnciam vnam in prædictis Morbis adhibuimus, aut adhiberi debere statuimus. Sit hæc secunda forma.

Tertia forma est, cum spiritus ille vini ita tinctus ruberrimo colore, lento igne balnei abstrahitur, dein vitrum transfertur ad cineres, et edistillatur phlegma ad siccitatem materiae. Tum denuò recens vini spiritus superfunditur: materia soluitur: humiditas ut supra edistillatur donec materia sicca sit ut puluerisetur: rursus fæces in vitro remanebunt. Istudq; opificium toties repetitur, segregatis semper subsidentijs ac fæcibus, donec nullæ amplius fæces in solutione remaneant. Tum demum materia ad summam puritatem reducitur, et Essentia Auri nuncupatur. De quâ, 2. aut 3. grana, aut amplius pro Morbi ratione, cum aquis aut liquoribus accommodatis administrare sum solitus.

Qui itaq; desiderauerint de hac Aureâ Medicinâ habere aut usurpare, poterunt eam vel vt Aurum potabile, vel vt Tincturam Auri Medicinalem, vel vt eiusdem Essentiam à nobis accipere, et suis usibus diversis accommodare.

Aurum Potabile cum vino mixtum, in omnibus Morbis absq; ulteriori permixtione aut additione, sat is est conueniens in nostris regionibus, ubi (cum temperatior sit aer etiam aestiuus) in vino datu est affectibus calidissimis, in quibus plerumq; exoptatum refrigerium post id, magis quam post villa Iulapia, aut cremore, liquores aut aquas ex violis, hordeo, amigdalais et similibus sequutum est: ut patet ex nostris et aliorum experimentis supra notatis. Nihilominus, ubi aer intentior, et consuetudo loci, aut Medici præsentis discretio suaserit, temperari poterit hæc mixtura cum aquis appropriatis, aut in eis omnino ministrari.

N. 3.

Vbi

Tertia forma.

Vbi verò æstus vehemens, vel alias Morbi aut personæ necessitas requirit, usus erit crebrior et aptior Tincturæ ac Essentia: quia vtraq; cum alijs pro libitu permisceri poterunt: nempe cum frigidis et appropriatis: Tinctura cum liquidis, Essentia cum siccis aut liquidis pro arbitrio sumptis.

Duplex itaq; usus, primò in sanis; secundò in ægris, ut duplex Medicinæ Practicæ finis: aut sanitatem præsentem conseruare, aut amissam restaurare.

D E



# DE VSV AVRI PO-

tabilis in sanis.



Mnes Medici, tam qui partim ex priori nostro Tractatu, partim hic in præcedentibus citati sunt, quâ innumeri terè alij, quos nominatim non advocavimus, conueniunt in eo, quòd Aurum potabile, ad sanitatem cuiusq; conservandam in quacunq; temperie corporis humani, sit vtilissimum: quòd imminentes Morbos prohibeat: Cor, spiritus vitales et vites restauret, sanguinis boni generationem adiuvet, atq; hinc virile semen augeat, et ad generandi actiones in utroq; sexu mirificè faciat, sterilitatem remoueat, abortum in fæminis præcaueat, partum acceleret, canos retardet, senium immaturum emendet, iuuentum vegetiorem inducat et conseruet. Hæc adeò sunt nota partim antedictorum rationibus, partim proprijs et secretis experientijs, vt nullâ hîc probatione egeant. Ad hec, ab Epilepsia, Apoplexiâ, Leprâ, Hydrope, Cancro, Arthritide, Febris omnis generis, tam iuvenes quam senes ex parte præseruat. Et in summâ, omnibus affectibus seu Morbis à materiali causâ oriuntur, quocunque nomine appellantur, resistit, et materiam antecedentem et ex quâ generari possent, subtrahit per vias Naturæ conuenientes.

Hi,

Hi, qui ad sanitatem conseruandam eo uti volunt, saltem simpliciori modo, id assument: nempe, si id fieri possit aut libeat, in lecto; sin minus, extra, pro vice cochlear vnum aut duo iejuno corpore, quod saepius eo melius. Si enim quisquam id sibi vtile fuisse ex binâ vel ternâ assumptione, sentiat, eius dosin augere vel minuere poterit. Nihil enim periculi est in aucta dosi, modo omnem mediocritatem non excedat; vt est in Croco, Theriacâ et alijs Cordialibus, aut purgantibus. Si quis etiam vñâ horâ aut duabus ante prandium aut cœnam, aut etiam vesperi dormitus (conciiliat enim somnum, et digestionem absoluit) eadem quantitate assumat, pro necessitatis aut instituti ratione; in eo non peccabit. In Morbis qui ad motum lunæ reguntur, præcauendis, vt Epilepsia, Mensium inordinatione suis temporibus; contrâ illam, tribus aut pluribus diebus ante Nouilunium et plenilunium: contrâ hos, quibus diebus instare solent.

Quod si vero quis, vt evidenter operetur, non erit contentus hac simplici assumptionis formâ, sed cum quibusdam ex proprietate Morbum præcauendum respicientibus ut malit, ille, vt antè dictum, ex Medici præsentis consilio, eiusmodi quodlibet, adiungat.

DE

# DE VS V AVRI PO-

## TABILIS IN AEGRIS.

**D**egressis Dosis est eadem; aut paulò maior, vel etiam minor, pro personarum et morborum respectu. Communiter datur cochlear vnum de Auro potabili: guttæ aliquot de Tincturâ permiscendâ liquori: grana 2. aut 3. de Essentiâ. Vbi dosis Dosis. maior necessaria sit, duplícanda est, aut triplicanda simplex, seu duo cochlearia vel tria, usq; ad vinciam vnam de Auro potabili dantur. De Essentiâ, ad grana quatuor ac sex. De Tincturâ eodem respectu. In extreme debilitatis aut nauseabundis, primò dimidia dosis, vel tertia pars eius sufficit, quæ deinde augenda pro viribus, quemadmodum hæc omnia ex ante relatis exemplis satis clare apparent. Conuenit etiam Infantulis Essentia Auri. Accipiatur eius granum vnum, soluatur in lacte muliebri si placet: huius mixturæ pauxillum, et postea plus, securè datur secundo aut tertio post partum die: Atq; & quæ securè potabile Aurum in mediocri quantitate cum liquore mixtum.

Singulis horis, binis aut trinis interiectis, iuxta Morbi exigentiam securè repetitur medicina pro libitu Quoties. tōties, donec effectus speratus consequatur, Morbus decrescat, viresq; augeantur.

Datur omni tempore, mane plerunq; iejuno Stomachio, aut duabus horis sub prandium aut cœnam: Quando Etiam in nimis replete ventriculo post Epulas contra datur. indigestionem. Digestionem enim absoluit, et Morbos præcauet, qui ab indigestione proueniunt. Ad conciliandum somnum noctu datur, aut alias yrgente necesse sitate, quacunq; hora.

O

Effectus

Effectus.

Effectus huius medicamenti sunt, Cordis corroboratio; spiritum vitalium atq; ipsarū virium infirmarū restauratio; idq; semper quantum homini possibile: quod tām astantibus quām ægro innotescit, et ex somno leuiori inseguente ut plurimū: velut etiam ex doloris mitigatione, vel symptomatum vehementiū sedatione percipitur. Sæpē sudor superuenit: nonnunquam vomitio: aut vrinæ copiosa emissio: aliquando, licet rarius, alui subductio: eaque omnia pro Morbi, partium, et ægri differentiā ex naturæ motu, qui motus hoc Medicamento adiuuatur, contingunt.

Atq; hæc de simplici eius administratione sufficient. Verū etiam si hæc Medicina suā virtute ad quoscūq; Morbos curandos ex Dei gratiā multum præstet auxiliū, veluti ex adductis exemplis, vbi rarissimē quid aliud præter hoc adiectum est, satis constat: tamen cum sit diuersitas ingeniorū, naturarum, Morborum, temporum, locorum et gentiū, et suus cuiq; mos laudabilior videatur, ne accusemur ab alijs, tanquam omnium aliorum Pharmacorū usum negligamus aut contemnamus; nos prout antehac sapè protestati sumus, committimus hanc Medicinam quibuslibet rationalibus (non inuidis) Dogmaticæ sectæ Artificibus et Medicis, ut pro suo arbitrio et iudicio, quæ videbuntur ex utilitate ægri futura Remedia, huic adiungant et usurpent, quemadmodū in alijs magnis Medicinis facilitatū fuit. Illis enim nihil præscribimus, nec quicquā cōtrā rationem aut Methodi ordinē imponimus: dum tamen nostræ Medicinæ operationem, non interrumpi aut impediti patiātur ab alijs. Hi nouerunt vbi præsentes sint, qualia, quā quantitate, ordine, tempore et loco, cui Morbo et ægro cuiq; conueniant, aut non: quid faciēdum, quid omittendum fuerit. At vbi eiusmodi non sint ad manum, veluti in prædijs aut rure, alijsve locis, nos breuem quandam admonitionem hinc addemus.

Notum

**N**otum est Medicis, qui Chymicos libros vel leuiter attigerint, ijsq; non omnem fidem (veluti increduli quidam præpostere faciunt) abrogârint, quid de effectu, efficaciâ et vsu Medicinæ illius vniuersalis multis in locis decantatum sit; ita vt à nobis eius rei testimonia produci non sit opus. Ea Medicina, vt antehac confessi sumus, supremum suum finem consecuta est. In mineralibus enim, non solum huminis corporibus suos effectus laudabiles exerit. Vt pater in illis Raymundi verbis: *Quinta Essentia Auri remanabit in fundo vasis purissi. et separata, spissa ad modum mellis secretissima. sine gummi coloratissimi et vntuosisissimi, valens mirabiliter ad omnem humanam scilicet et Alchymisticam Medicinam.* De Medicina Hæc autem nostra non tam sublimem in gradum est exaltata, sed saltem humanorū corporum curationi est destinata. Veruntamen cum vtraq; quicquid laudabilem virtutum habeat, ratione aureæ formæ æquatæ et temperatissimæ possideat (quum ab uno fonte et fundamento utraq; deducta sit) hinc non immitò eundem usum huic nostro Auro potabili, quem Lullius suo lapidi, aut Medicinæ, ascribendum putamus. Si enim causa agens et effectus conueniunt, et non sunt genere dispare, quis de vsu dubitabit? Quicquid igitur Lullius in libro Mercuriorum, cap. 26. de modo administrationis suæ Medicinæ seu aquæ aureæ, seu lapidis dixit, huc adducendum non abs recensemus, cum differentiam quandam specialem usurpandi hanc Medicinam præscribat, quæ hoc loco necessaria est. Multa suaverba in pauca contraham. Sanis igitur ad conservandam valetudinem hoc regimen instituit. Misce cum quantitate vini albi, et da Phlegmatico in hyeme. Si est Cholericus, da cum aqua simplici: et Melancholico, da cum brodio, ubi sit coetus Mæso. Et si est Sanguineus, in vino albo

albo simplici. Et erunt securi ab ægritudine, et rectificati contrà qualitatem temporis. Et si vis dare Infirmis, sit mixtura efficacior, &c. Nec cures cognoscere Infirmitates (inquit ille) quia sapiens Natura per suum instinctum, dedit virtutes lapidis dissoluto ad rectificandum scipsum. Fili, ista Medicina habet potestatem contrà Infirmitates calidas et frigidas, naturales et accidentales. Hæc et alia Lullius de vsu huiusmodi Medicinæ prodit: quæ nos huic negotio apprimè conuenire, ab experientia ipsa didicimus. Tamen ad symptomata magis urgentia quoque respici interdum debere nos agnoscimus; quæ nonnunquam patientem in præsentissimum vitæ discrimen præcipitant. Qualia sunt virium imbecillitas, vigiliae, æstus, rigor, fluxus alui, vteri, appetitiæ deiectione, delirium, sitis, et his similia. Hæc omnia et alia huiuscmodi ex Dei nutu hac vnicâ Medicinâ mitigata fuerunt etiam primis vicibus repetitis. Nihilominus multa adduci possunt appropriata et conuenientia cuilibet Morbo. Quod si igitur æger tantâ materiæ copiâ græuetur, ut etiam per aluum reductio eius adiuuanda sit, eccoprotica et leuiter aluum subducentia, pro cuiusq; delectu approbamus. Interdum Morbus per vrinam aut sudorem evacuari desiderat: quod vtrumq; licet ab Auro Potabili effectum detur, tamen in casu hæc excretio iuuari posset. Si sit alui profluuum, aut Dysenteria in Intestinis inferioribus, ad quæ Medicina per os sumpta non ita penetrare posset, et antequam descendat rapiatur à venis, Clyster conueniet absurgens cum astrictione. Somnus cum sit reparandis viribus maximè requisitus, et interdum à dolore, fumis calidis aut siccis Cerebrum petebatibus, Catharro, et alijs causis impediatur, ad hunc imprimis respiciendum: Qui licet virtute huius Medicamenti occultâ sapissimè concilietur, tamen si opus sit, adiuuetur. Sanguinis missio opportuna non negligenda. Cætera discretioni usurpantis committimus.

Conclusio



# CONCLVSION LIBRI.

Vnc ad te Lector beneuole, re-  
deo, cui omnia mea studia, la-  
bores omnes do, dico, dedico,  
consecro, voueo: Obnixè ro-  
gans, vt hæc qualiacunq; sint  
dextrè accipias: inque quibus-  
dam, liberioris meæ mentis  
excusum, candidè interprete-  
ris. Quæ hîc exposita sunt Testimonia, in nullius præ-  
iudicium aut ignominiam cedere poterunt, cum de-  
tractationi aliorum, quantum in me fuerit, penitus ab-  
stinuerim: nec illis, quibus ex legè talionis deberem,  
per conuitia responderim. Habeant sibi suam loquen-  
tiā maledicam: ego meā simplicitate vēridicā con-  
tentus sim. Viuat interim veritas, et ex vulnere recipi-  
at vires, ex attritu odorem spārgat instar Aromatis sua-  
ueolantis: Amaraciq; suavitatem æmuletur. De quâ  
narrant, quòd Sues si fragratiā eius cogantur aperti  
natibus haurire, emoriantur: stupendo naturæ miracu-  
lo: quòd res per se bona et innoxia, ex malitiâ Syllæ  
naturæ ei cedat in venenum. Sic mihi contigit circà  
hoc Medicamentum: quod cùm omnibus salutifuerit,

nulli damno; nihilominus, sunt quibus odio sit, quibus  
virtute suâ interne ciuum videatur. Verum vt Philo-  
sophi dicunt, quod nutritiens convertatur in naturam  
nutriti, et non contrâ: itâ maleuoli, quicquid inimi-  
co respiciunt oculo, aut manu tractant inuidâ, licet  
per se optimum sit, suæ tamen naturæ, hoc est, pessimæ  
assimulare studet. Ut in Ape & Araneo manifestè vide-  
tur: quorum illa mel, hoc venenum fugit ex ijsdem flo-  
ribus. Conferat omnia inter se æquus et eruditus le-  
ctor, et maturo iudicio perpendat, quid verum, quid  
falsum, quid sincerum, quid fucatum inueniat, et non in  
alicuius odium aut fauorem inclinet: sed mente libera,  
quasi bilance æquitatis singula exactius pendat: iuxta  
commune dictum, Inter bonos bene agier oportet.  
Nullum est mihi dubium, quin multi ex ante relatis, to-  
tiusq; libri tractatione, plurima ambigua mouere pos-  
sint: quæ tamen homini ægro nec vtilia nec proficia  
sunt, vtpote qui salutaribus Remedijs, non verbis sub-  
tilibus curari desideret. Quocircà nos, singulis captio-  
nibus otiosorum si respondere vellemus, et otio nos  
et beneuolorum patientiâ abuteremur. Pauca saltem  
sunt, quæ te admonere volui, Candide et amice, lector,  
ne, vt in præfatione huius Tractatus præmisí, hoc no-  
strum Institutum aliter, quam dextre interpreteris. Nec  
te statim ad de honestationem rei aut personæ per ver-  
bales aut scriptas iniurias, accingas aut conferas. At si  
quæ inueniris, quæ vel tuo captui aut iudicio non satis-  
fecerint, vt me, velut ingenuum deceat, eorum præmo-  
neas et certiorem facias, hoc est, per fæciale prius nū-  
cies, antequam veritatem oppugnes. Adhæc, si cui no-  
stra viluerint, illum obnoxie rogatum velim, vt meliora  
sua in medium hominum usum (attamē non minori ex-  
perientia et temporis usu probatissima) beneuole pro-  
ferat, ac interim, dum ea expectemus, his homines frui  
ne impeditat.

FINIS.



## APPENDIX LECTORI CANDIDO RESERVATA.

**N**on te fugit, Candide lector,  
Mattheum Guinium in libri  
sui illius in me inuestiui Prae-  
fatione, Regiam Magnæ Bri-  
tanniae Maiestatē sollicitare,  
et maiorem in modum preci-  
bus orare, ut et mihi Praxis  
Medica, et Auro potabili usus  
et æstimatio interdiceretur, dum inquit: Tolluntur u-  
na Medici, Chyrurgi, Pharmacopœi, si una obtineat unius  
Antonii uniuersalis Medicina. Et paulò post. Firmet  
hunc ordinem Maiestas tua, ne ordo Medicorum Architecto-  
nicus, ne ordo Chyrurgorum Polychrestus, ne ordo Pharma-  
copœorum Londinensium, honestus, doctus, diuines, vel iniucem  
distinctus confundatur, vel inuasoribus Chymicis confunde-  
tur. Verum quam iniqua sit hæc eius petitio, ne di-  
cam, præjudicialis veritati, nemo non videt. Si Deus  
aliquid singulari Medicinæ donum concesserit, quod  
præ multis alijs Medicamentis utilissimè usurpari  
possit, an hoc rei ciendum, propterea quod aliorum  
æstimatorum, hinc non æquè lucentur? An Vas illud  
electum iuste silere et vapulare cogitur, quia ex eius  
sermone Idolorum fabricatores, non tantum lucri  
capturi essent, quam alias? (vt sacris profana confe-  
ram) Neutrum nisi iniquissime liceat. At vice versa, si

vna obtineat vnius Antonij vniuersalis Medicina, florrebunt magis Medici, Chyrurgi, et Pharmacopœi. Non confundetur triplex ille ordo Medicorum, licet Archyteclonicus; Chyrurgorum, licet Polychrestus; Pharmacopœorum Londinenium, licet honestus, doctus, diues: sed magis stabilietur, et confirmabitur. Si enim illi terni, dum ad ægri curationem accedunt, æmulationem, inuidiam, et sordidilucri odorem ante ostium deponerent, (vt Ethnici illi antiqui Senatores consultaturi de Repub.) tum Medicinæ in hac Medicinâ si non vniuersali, tamen ei proximâ, inuenirent Morbis deploratissimis auxilium haud aspernandum et utilissimum. Tum Chyrurgi, velut in animi deliquiis, et in casibus, vbi requies, somnusque abest, ac virium deiectio comitatur, experientur maxime Polychreston hoc Remedium. Tum Pharmacopœi, in honestate, in doctrinâ et diuitiis nihil amitterent, si et hanc Medicinam apud se in ægrorum cœmodum inveniri paterentur. Apud quos tamen etiam vilissima haud pauca, et à quibus assūmendis multi abhorrent, in singulis angulis et thecis prostant. Nolim ego enim hac meâ Medicinâ illis quid detractum, sed plurimum potius adiectum; idque in communem Reipubl. utilitatem, cui me, meaque omnia, dico, consecro, offero. Vale.

INDEX.



# INDEX MOR- BORVM HOC

TRACTATV CONTENTORVM,  
QVI AVRO POTABILI, TANQVAM  
vnâ et vniuersali Medicinâ fœliciter curati  
sunt, et ex innumeris alijs  
hic citati.

## A

<b>A</b>	Bortus præcautio.	90
	Alui fluxus conti- nuus.	42
	Appetitus amissus.	29
	Ardores corporis.	42
	Asthma cum tussi.	88

Casus deploratus.	92
Colicus dolor.	22, 85
Congelatio.	19
Cordis tremor.	22
Cordis dolor.	54
Convulsiones cum stupore.	89
Causon.	27
Cruciatus intolerabiles.	29

## C

<b>C</b>	Alculi præcautio.	45
	Capitis dolor.	46
	Casus desperatus insene.	79

## D

<b>D</b>	Elirium.	19, 23
	Diaphoreticum.	49
	Desperans.	78, 79
P 2	Diar-	

*Index.*

Diarrhoea cum vomitione	81	cie corporis.	71
Difficultas respirationis.	84		
Dysenteria.	22, 23, 30	H.	

E

Epilepsia.	22. 23. 24.
E	77. 78. 85.
Epilepticus Paroxismus.	46
Exanthemata.	23. 26. 56.

79. 80.

F

Febris maligna.	44. 74.
F	83.
Febris Causos.	27. 36
Febris ardens.	30. 92
Febris quartana.	20. 35. 75
Febris continua.	50. 53.
Febr. continua ardens.	52
Febris acuta ardens.	52
Febris quotidiana.	52
Febris tertiana.	53
Febris Epidemica.	54
Febris post infelicem partum.	72
Febris Endemia.	82. 83. 87
Febris Endemia cum convulsionibus.	83

G

Gonorrhœa.	33
Gonorrhœa cum ma	

H	Epatis et Lienis ob-
	structio.
	Humores maligni.
	Hydrops.

I

I	nfans recens natus.
	Intestinorū excoriatio.

L

L	Oquela amissa.
	46. 72.

M

M	Ania.
	Marasmus ex Morbo.
	Matricis affectus.
	Matricis suffocatio.
	Melancholia hypochondriaca.
	Menstrua immoda.
	Membrorum tumor.
	Morbus maligni moris.
	Morbus Chronicus.

Morbus

Index.

Morbus caducus.	85	S
Moribundus.	37.51	Anguinis profluuium. 25
Moribunda.	39	Sanguinis cum urina
Morbirecidini.	30.31	stillicidium. 33
Morbilli.	23	Scorbutus. 29
N		Spasmata. 28
Nausea.	39	Stranguria. 33
O		Stupor. 72
O Edema.	34	Symptomata prægnanti su-
O Obstructio viscerum.	34.90.	peruenientia. 62
Obstructio viscerum cum hy- drope.	69	T
P		Abescum tussi. p.77.
P Aralysis.	p.88	Tormina. 27
P Paralysis linguae.	88.89	Tumores. 34
Partus difficultas.	63.64	Tussis vehemens. 70
16.16.65.66.84		V
Pestis.	68.73.87	Ariola. 23.26
Pestis in prægnante.	91	Ventriculus ab inedia
Prægnantium symptomata.	62.63	contractus. 61
Podagra.	23	Vermes. 19.23
Puerperæ symptomata.	82	Veternus. 54
Q		Vigilia. 27.29.42.61.
Q Vartana.	20.35.75.	Virium debilitatio. 31.42.
	86.87.89	87
R		Vomitus. 22.27.39.81
Renum debilitas.	27	Vomitus cum animi deliquio.
		60
		Vrine suppressio. 27
		Virium debilitatio. 31.42.87
		Vrine stillicidium. 33.68

F I N I S.

2 bands

3 bands

parie of storking

parie of blankets

so vorles

1 fift

1 parie of books

gram

full Epist

wredet:

Francer

tecolastus

orithm & books



## Errata typographica benignus Lector hic emendet.



N Epist. 1. ver. 8. araneos, v. 19.  
mancipandam. In carm. 2. v. 6. ea.  
In carm. ad tertium. v. 11. proliuit.  
ad quartum. v. 2. quotquot. ibi. fal-  
lant. ad battol. v. 6. Antonio-ma-  
stix. In Epist. 2. v. 7. p. 2. deest, gra-  
na aliquot. ibi. v. 27. misericor-  
dia. ibi. illi. In præfatione. v. 17.  
mancipare.

P. 8. v. 3. et motum, corrige per motum, p. 9. v. 9.  
ægrotantis, p. 12. v. 22. confortatiua. p. 15. v. 14. Regiae  
p. 16. v. 23. plerumque. p. 17. v. 12. Medicinale. p. 19.  
v. 3. inclusio. p. 22. v. 1. Reuerende: p. 59. v. 23. adhæc.  
p. 66. v. 2. annorum. p. 66. v. 1. Equitis. p. 68. v. 1.  
Leuknar Eques, p. 70, v. 6. quem. p. 77. Eques. p. 80.  
v. 7. Edwardi. p. 84. difficultas. Filiola. p. 88. v. 1. Ca-  
pitaneus p. 89. v. 4. munitissima. p. 100. v. 6. præcellēs.  
p. 101. v. 32. intensior. p. 106. v. 21. sæpe. p. 109. v. 11.  
detrectationi. p. 110. v. 2. internecinum, ib. v. 7. assi-  
milare. ib. v. 8. hic.

